


CLASSICAL
LATIN AND GREEK SCHOOL-BOOKS

BY THE SAME AUTHOR.

LATEST EDITIONS, THOROUGHLY REVISED.

LATIN PROSE EXERCISES, intended chiefly for the Middle Classes of Schools. Crown 8vo. 4*s.* 6*d.*—Key, supplied to Teachers only, price 5*s.*

EASY LATIN PROSE EXERCISES on the Syntax of the Public School Latin Primer, for the Use of the Junior Classes. Crown 8vo. price 2*s.* 6*d.*—Key, supplied to Teachers and Schoolmasters only, price 2*s.* 6*d.*

'On the whole, this appears to us by far the best companion to the Public School Latin Primer that we have seen.' ATHENÆUM.

RULES of LATIN SYNTAX (on the plan of the Rev. Canon Farrar's Greek Grammar Rules) for the use of Schools. 8vo. price 2*s.*

'These rules, which are printed on stiff paper and arranged conveniently for reference, may lie by the side of a young scholar when doing his Latin prose. The work is turned out with that admirable finish which we should expect from Mr. Wilkins, who appears to us to have placed himself in the first rank of writers of school books.' ACADEMY.

The LATIN COMPOUND SENTENCE, for the use of Schools. 8vo. price 1*s.*

This little manual aims at providing the junior classes of schools with a fuller treatment of the Latin Compound Sentence than that contained in the Public School Latin Primer. With a view to its use in conjunction with that widely circulated Grammar, it adopts the division of Subordinate Sentences (shared by the P. S. L. P. with many other Syntaxes) as to Substantival, Adverbial, and Adjectival, after a careful explanation of the meaning of the terms. Discarding all needless technicalities, and leaving exceptional usages to more advanced works, the Author has laboured to teach the main rules clearly, enforcing them by pointed illustrations, and by explaining, where space and scope permit, the *rationale* of the preference of one mood or one mode of construction to another.

A PROGRESSIVE LATIN DELECTUS, adapted throughout with reference to the Public School Latin Primer. 12mo. 2*s.*

A LATIN ANTHOLOGY, or Progressive Latin Reading-Book for the Use of the Junior and Middle Classes in Schools. 12mo. ~~4*s.* 6*d.*~~ 2/6

NOTES for LATIN LYRICS, in Use in Harrow, Westminster, and Rugby Schools. 12mo. 4*s.* 6*d.*

A MANUAL of LATIN PROSE COMPOSITION, for the Use of Schools and Colleges. Crown 8vo. price ~~5*s.* 6*d.*~~—Key, for Teachers and Students, price 2*s.* 6*d.*

4/6

London, LONGMANS & CO.

The ECLOGUES and GEORGICS of VIRGIL literally translated into English Prose, founded on the Notes and Text of Professor Conington's latest Edition; with a running Analysis. Post 8vo. price 3*s.* 6*d.*

The GEORGICS of VIRGIL, edited for the Middle Forms in Schools, founded on Professor Conington's revised Text; with a Running Analysis interposed at suitable intervals in the Text, and Notes at the end of the volume. Crown 8vo. price 4*s.* 6*d.*

ELEMENTARY EXERCISES in GREEK PROSE COMPOSITION. Crown 8vo. 4*s.* 6*d.*—Key, supplied to Teachers only, 2*s.* 6*d.*

MANUAL of GREEK PROSE COMPOSITION, for the Use of Schools. Crown 8vo. price ~~4*s.* 6*d.*~~ 5/-—Key, for the use of Teachers and Students, price 5*s.*

A PROGRESSIVE GREEK ANTHOLOGY, containing the First Four Books of the Odyssey; Extracts from Anacreon, Simonides, Tyrtæus, Sappho, Erinna, Mimnermus, Solon, Theognis, Plato, Theocritus, Callimachus, Moschus, Meleager, Euripides, &c. with English Notes. 12mo. 5*s.*

Key 2/6

A NEW GREEK DELECTUS, based on Messrs. Parry's & Curtius' Greek Grammars and Mr. Abbott's Greek Primer. Crown 8vo. price 3*s.* 6*d.*

'A very carefully prepared and useful book for beginners, as good as anything of the kind which we have seen.' ATHENÆUM.

A PROGRESSIVE GREEK DELECTUS, for the Use of Schools, based upon the Accidence of Bishop Wordsworth's Greek Grammar and Greek Primer, and following the new arrangement of the Declensions adopted in the current editions of those two works. 12mo. price 4*s.*—Key, price 2*s.* 6*d.*

SPEECHES from THUCYDIDES, translated into English for the Use of Students; with an Introduction and Notes. 8vo. price 6*s.*

The OLYNTHIACS of DEMOSTHENES, from the Text of Bekker; with Introduction, Historical and Critical Prefaces, and English Notes. Crown 8vo. price 4*s.* 6*d.*

SCRIPTORES ATTICI, in Use at Harrow, Marlborough, and other Schools; a Collection of Excerpts, progressively arranged, from *Xenophon*, *Thucydides*, *Plato*, *Aristotle*, and *Lucian*, with English Notes, for the Use of the Middle Forms. Crown 8vo. 7*s.* 6*d.*

XENOPHON'S CYROPÆDIA, BOOK I. Greek Text, edited with English Notes, and other Aids for the Use of Students and Candidates for Examination. 12mo. price 2*s.*

London, LONGMANS & CO.

KEY

TO THE

MANUAL OF LATIN PROSE COMPOSITION

LONDON: PRINTED BY
SPOTTISWOODE AND CO., NEW-STREET SQUARE
AND PARLIAMENT STREET

A KEY

TO THE

MANUAL OF LATIN PROSE COMPOSITION

IN WHICH THE PASSAGES TRANSLATED IN PARTS I. & V. ARE PRINTED IN FULL

BY

HENRY MUSGRAVE WILKINS, M.A.

FELLOW OF MERTON COLLEGE, OXFORD

TENTH EDITION

REVISED AND CORRECTED

LONDON

LONGMANS, GREEN, AND CO.

1883

PREFACE.

ON publishing a new edition of this Key, it was found, for several reasons, desirable to print the passages translated in Parts I. and V. in full, instead of merely giving references to them.

Every translation in Parts II. and IV. is signed with the Translator's name; except in the case of some versions, whose authorship I am not at liberty to mention, from the 'Letters' of JUNIUS. They were taken down at a Composition Lecture, given by one of the Tutors of Balliol College, whose courtesy allows their publication here. For the translations signed 'W.' the author is responsible.

MERTON COLLEGE, OXFORD:
June, 1883.

KEY

TO THE

MANUAL OF LATIN PROSE COMPOSITION.

PART I.

Exercise I.

Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, judicata est: nulla res tam patria cujusquam atque avita fuit, quæ non ab eo, imperio istius, abjudicaretur. Innumerabiles pecuniæ ex aratorum bonis novo nefarioque instituto coactæ: cives Romani servilem in modum cruciati et necati: homines nocentissimi propter pecunias judicio liberati: honestissimi atque integerrimi, absentes rei facti, indictâ causâ damnati et ejecti: portus munitissimi, maximæ tutissimæque urbes piratis prædonibusque patefactæ: nautæ militesque Siculorum, socii nostri atque amici, fame necati: classes optimæ atque opportunissimæ, cum magnâ ignominiâ populi Romani, amissæ et perditæ. Idem iste prætor monumenta antiquissima, partim regum locupletissimorum, quæ illi ornamento urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum, quæ victores civitatibus Siculis aut dederunt aut reddiderunt, spoliavit nudavitque omnia. Neque hoc solum in statuis ornamentisque publicis fecit; sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus consecrata, depeculatus est; deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit.—Cic. *in Verr.* I. 5.

II.

Sæpe me querentem de feminarum, sæpe de virorum, nec de privatorum modo, sed etiam magistratuum, sumptibus audistis; duobusque vitiis, avaritiâ et luxuriâ, civitatem laborare: quæ pestes omnia magna imperia everterunt. Quo melior lætiorque in dies fortuna reipublicæ est, imperiumque crescit, et jam in Græciam Asiamque transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, et regias etiam attrectamus gazas, eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint quam nos illas. Jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes. Patrum nostrorum memoriâ Pyrrhus non virorum modo, sed etiam mulierum animos donis tentavit. Nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat: tamen nulla accepit. Quam causam fuisse censetis? Eadem fuit, quæ majoribus nostris nihil de hâc re lege sanciendi. Nulla erat luxuria, quæ coerceretur. Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natæ sunt quam leges, quæ iis modum facerent. Quid legem Liciniam excitavit de quingentis jugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? Quid legem Cinciam de donis et muneribus, nisi quia vectigalis jam et stipendiaria plebes esse senatui cœperat? Itaque minime mirum est, nec Oppiam, nec aliam ullam tum legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret, quum aurum et purpuram oblata ultro non accipiebant.—LIVY, XXXIV. 4.

III.

Stoicos dimitto, nec eos iratos vereor, quoniam irasci nesciunt; atque hanc iis habeo gratiam, quod soli eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Sed utrumque est in his, quod ab hoc, quem instruimus, oratore valde abhorreat; vel, quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt; neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem est absurdum, ei concionem, aut senatum, aut ullum cœtum hominum committere, cui nemo illorum qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber, esse videatur. Accedit quod orationis genus habent fortasse subtile, et certe acutum; sed, ut in oratore, exile, inusita-

tum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, jejunum, ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possis. Alia enim et bona et mala videntur Stoicis, et ceteris civibus; alia vis honoris, ignominiæ, præmii, supplicii; vere an secus, nihil ad hoc tempus; sed, ea si sequamur, nullam unquam rem dicendo expedire poterimus.—Cic. *de Orat.* III. 18.

IV.

Postero die transgressus Anienem Hannibal in aciem omnes copias eduxit. Nec Flaccus consulesque certamen detrectavere. Instructis utrimque exercitibus in ejus pugnæ casum, in quâ urbs Roma victori præmium esset, imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem turbavit, ut vix armis retentis in castra sese receperint, nullius rei minore quam hostium metu. Et postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit. Ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Pœnos versa est: auditaque vox Hannibalis fertur, 'Potiundæ sibi urbis Romæ modo mentem non dari, modo fortunam.' Minuere etiam spem ejus et aliæ, parva magnaque, res: magna illa, quod, quum ipse ad mœnia urbis Romæ armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum Hispaniæ profectos audivit: parva autem, quod per eos dies eum agrum in quo ipse castra haberet, venisse, nihil ob id deminuto pretio, cognitum ex quodam captivo est. Id vero adeo superbum atque indignum visum, ejus soli, quod ipse bello captum possideret haberetque, inventum Romæ emptorem; ut, extemplo vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, jusserit venire.—Livy, XXVI. 11.

V.

Primum, copias offendi ibi neque magnas neque bellicosas; deinde, extra ducem paucosque præterea, (de principibus loquor) reliqui primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem: maximum autem æs alienum amplissimorum virorum. Quid quæris? nihil boni, præter causam. Quæ cum vidissem, desperans victoriam, cœpi suadere pacem, cujus fueram semper auctor: deinde, cum ab eâ

sententiâ Pompeius valde abhorreret, suadere institui ut bellum duceret. Hoc interdum probabat, et in eâ sententiâ videbatur fore: et fuisset fortasse, nisi, quâdam ex pugnâ, cœpisset suis militibus confidere. Ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit. Signa, tirone et collecticio exercitu, cum legionibus robustissimis contulit. Victus, turpissime etiam amissis castris, solus fugit. Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tanquam exsilio locus, aut consciscenda mors voluntaria. Certe nihil fuit præterea, si te victori nolles aut non auderes committere. Ex omnibus autem iis, quæ dixi, incommodis, nihil tolerabilius exsilio, præsertim innocenti, ubi nulla adjuncta est turpitudo: addo etiam, cum eâ urbe careas, in quâ nihil sit, quod videre possis sine dolore. Quæ acciderunt, omnia dixi futura. Sed tamen vacare culpâ magnum est solatium; præsertim cum habeam duas res quibus me sustentem—optimarum artium scientiam et maximarum rerum gloriam.—CICERO, *ad Diversos*, VII. 3.

VI.

At enim nemo post reges exactos de plebe consul fuit. Quid postea? Nullane res nova institui debet? Pontifices, augures, Romulo regnante, nulli erant; ab Numa Pompilio creati sunt. Census in civitate et descriptio centuriarum classiumque non erat: ab Servio Tullio est facta. Consules nunquam fuerant: regibus exactis creati sunt. Dictatoris nec imperium nec nomen fuerat: apud patres esse cœpit. Decemviros legibus scribendis intra decem hos annos et creavimus et sustulimus. Quis dubitat, quin, in eternum urbe conditâ, in immensum crescente, nova imperia, sacerdotia, jura gentium hominumque instituantur? Hoc ipsum, ne connubium Patribus cum plebe esset, non decemviri tulerunt paucis his annis pessimo exemplo publico, cum summâ injuriâ plebis? An esse ulla major aut insignitior contumelia potest, quam partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid est aliud, quam exsilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati? Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cavent; ne societur sanguis. Quid? hoc si polluit nobilitatem istam vestram, sinceram servare

privatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias sororesque enubere sinendo e Patribus? Nemo plebeius invitum pactionem nuptialem quemquam facere coegisset.—LIVY, IV. 4.

VII.

Venio nunc ad id, de quo agitur: in quo duplex consulis oratio fuit. Nam et legem ullam omnino abrogari est indignatus; et eam præcipue legem, quæ luxuriæ muliebris coercendæ causâ lata esset. Et illa communis pro legibus visa consularis oratio est: et hæc adversus luxuriam severissimis moribus conveniebat. Itaque periculum est, nisi, quid in utrâque re vani sit, docuerimus, ne quis error vobis offundatur. Ego enim, quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causâ in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit; sic, quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, et temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat; quæ in bello, pax: ut in navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sunt. Hæc quum ita naturâ distincta sint, ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? An vetus regia lex, simul cum ipsâ urbe nata? Quis nescit novam legem esse, Q. Fabio et Tib. Sempronio consulibus viginti annis ante latam? Sine quâ quum per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem, ne abrogatâ eâ effundantur ad luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret ne abrogata incitaret; cur sit autem lata, ipsum indicavit tempus.—LIVY, XXXIV. 6.

VIII.

Ut cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentiâ. Vir magnus, L. Lucullus, ferebatur quam commodissime respondisse, cum esset objecta magnificentia villæ Tusculanæ, duo se habere vicinos—superiorem, equitem Romanum, inferiorem, libertinum; quorum cum essent magnificæ villæ, concedi sibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis essent, liceret. Non vides, Luculle, a te id ipsum natum,

ut illi cuperent, quibus id, si tu non faceres, non liceret? Quis enim ferret istos, cum videret eorum villas signis et tabulis refertas, partim publicis, partim sacris et religiosis? quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, iisdem tenerentur? Neque enim tantum mali est peccare principes —quanquam est magnum hoc per se ipsum malum—quantum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet videre, si velis replicare temporum memoriam, qualescunque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse: quæcunque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secutam. Idque haud paulo est verius, quam quod Platoni placet, qui, musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari civitatum status. Ego autem, nobilium vitâ victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de republicâ merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem; neque solum obsunt quod ipsi corrumpuntur, sed quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent.—Cic. *de Legg.* III. 13.

IX.

Nihil minus quæsitum a principio hujus operis videri potest, quam ut plus justo àb rerum ordine declinarem; varietatibusque distinguendo opere, et legentibus velut deverticula amœna, et requiem animo meo quærerem. Tamen tanti regis ac ducis mentio, quibus sæpe tacitis cogitationibus volutavit animum, eas evocat in medium; ut quærere libeat, quinam eventus rebus Romanis, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit. Plurimum in bello pollere videntur militum copia et virtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana, maxime in res bellicas, potens. Ea, et singula intuenti et universa, sicut ab aliis regibus gentibusque, ita ab hoc quoque, facile præstant invictum Romanum imperium. Jam primum, ut ordiar ab ducibus comparandis, haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum; sed clariorem eum facit quod unus fuit, quod adolescens in incremento rerum, nondum alteram fortunam expertus, decessit. Ut alios reges claros ducesque omittam, magna exempla casuum humanorum; Cyrum, quid nisi longa vita, sicut Magnum modo Pompeium, vertenti præbuit fortunæ?—Livy, IX. 17.

X.

Et loquimur de Alexandro nondum merso rebus secundis, quarum nemo intolerantior fuit. Referre in tanto rege piget superbam mutationem vestis, et desideratas humi jacentium adulationes, etiam victis Macedonibus graves, nedum victoribus; et fœda supplicia, et inter vinum et epulas cædes amicorum, et vanitatem ementiendæ stirpis. Quid, si vini amor in dies fieret acrior? quid, si trux ac præfervida ira?—nec quidquam dubium inter scriptores refero—nonne hæc damna imperatoriis virtutibus ducimus? Id vero periculum erat, quod levissimi ex Græcis, qui Parthorum quoque contra nomen Romanum gloriæ favent, dictitare solent, ne majestatem nominis Alexandri, quem ne famâ quidem illis notum arbitror fuisse, sustinere non potuerit populus Romanus; et, adversus quem Athenis, in civitate fractâ Macedonum armis, cernente tum prope fumantes Thebarum ruinas, concionari libere ausi sint homines, id quod ex monumentis orationum patet, adversus eum nemo ex tot proceribus Romanis vocem liberam missurus fuerit?—LIVY, IX. 18.

XI.

Ibi partem majorem hiemis exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala duratum, bonis inexpertum atque insuetum. Itaque, quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ; et eo impensius, quo avidius ex insolentiâ in eas se merserant. Somnus enim, et vinum et epulæ, balneaque et otium, consuetudine in dies blandius, ita enervaverunt corpora animosque, ut magis præteritæ victoriæ eos quam præsentes tutarentur vires; majusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannensi acie protinus ad urbem Romanam duxisset. Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit, hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque, velut si cum alio exercitu a Capuâ exiret, nihil pristinæ disciplinæ tenuit. Nam ubi primum sub pellibus haberi cœpti sunt, viaque et alius militaris labor excepit, tironum modo corporibus animisque deficiebant, et deinde per omne æstivorum tempus magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur: neque aliæ latebræ quam Capua desertoribus erant.—LIVY, XXIII. 18.

XII.

In privatis rebus, si quis rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui quæstûs aut commodi causâ, verum etiam negligentius, eum majores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est judicium, non minus turpe quam furti; credo propterea quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his, operæ nostræ vicaria, fides amicorum supponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium, et, quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere: alius in aliâ re est magis utilis. Idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis, officio simulato, officis et obstas? Recede de medio: per alium transigam. Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse; quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam et fidem: nam neque mandat quisquam fere nisi amico; neque credit, nisi ei quem fidelem putat. In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur necesse est: in re tantâ, cum is, cui fama mortui, fortunæ vivi, commendatæ sunt atque concreditæ, damno vivum, ignominiâ mortuum affecerit—is inter honestos homines, atque adeo inter vivos numerabitur?—Cic. *pro Rosc. Amerino*, §§ 38, 39.

XIII.

Quo diutius trahebatur bellum, et variabant secundæ adversæque res non fortunam magis, quam animos, hominum, tanta religio, et ea magnâ ex parte externa, civitatem incessit, ut aut homines, aut dii repente alii viderentur facti. Nec jam in secreto modo atque intra parietes abolebantur Romani ritus, sed in publico ac foro Capitolioque mulierum turba erat, nec sacrificantium, nec precantium deos patrio more. Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes: quorum numerum auxit rustica plebs, ex incultis diutino bello infestisque agris egestate et metu in urbem compulsa; et quæstus ex alieno errore facilis, quem

velut ex concessæ artis usu exercebant. Primo secretæ bonorum indignationes exaudiebantur: deinde ad Patres et ad publicam querimoniam excessit res. Incusati graviter ab senatu ædiles triumvirique capitales, quod non prohiberent, quum emovere eam multitudinem e foro, ac disjicere apparatus sacrorum conati essent, haud procul afuit quin violarentur. Ubi potentius jam esse id malum apparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur, M. Atilio prætori urbis negotium ab senatu datum est, ut his religionibus populum liberaret.—LIVY, XXV. 1.

XIV.

Vitia tribunatûs præclare perspicis. Sed est iniqua, in omni re accusandâ, prætermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio. Nam isto quidem modo vel consulatus vituperio est, si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in istâ potestate inesse quiddam mali. Sed bonum, quod est quæsitum in eâ, sine isto malo non haberemus. Nimia potestas est tribunorum plebis: quis negat? Sed vis populi multo sævior, multoque vehementior; quæ, ducem quod habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet. Dux enim suo periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet. At aliquando incenditur. Et quidem sæpe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sanâ mente sit? Concessâ plebi a patribus istâ potestate, arma ceciderunt; restincta seditio est: inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putarent; in quo uno fuit civitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et, præter eos, quamvis enumeres multos licet; cum deni creentur, nonnullos in omni memoriâ reperies perniciosos tribunos.—CIC. *de Legg.* III. 10.

XV.

Romani, ex arce plenam hostium urbem cernentes, quum aliâ atque aliâ parte nova aliqua clades oriretur, non mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant. Quocunque clamor hostium, mulierum puerorumque ploratus, sonitus flammæ, et fragor ruentium tectorum advertisset, paventes ad omnia, animos oraque et oculos flectebant, velut ad spectaculum a fortunâ positi occidentis patriæ, nec ullius rerum

suarum relicti, præterquam corporum, vindices: tanto ante alios miserandi magis, qui unquam obsessi sunt, quod interclusi a patriâ obsiderentur, omnia sua cernentes in hostium potestate. Nec tranquillior nox diem tam fœde actum excepit; lux deinde noctem inquietam insecuta est: nec ullum erat tempus, quod a novæ semper cladis alicujus spectaculo cessaret. Nihil tamen, tot onerati atque obruti malis, flexerunt animos, quin, etsi omnia flammis ac ruinis æquata vidissent, quamvis inopem parvumque, quem tenebant, collem, libertati relictum, virtute defenderent. Et jam, quum eadem quotidie acciderent, velut assueti malis, abalienaverant ab sensu rerum suarum animos; arma tantum ferrumque in dextris, velut solas reliquias spei suæ, intuentes.—Liv. v. 42.

XVI.

Duo genera semper in hâc civitate fuerunt eorum qui versari in republicâ, atque in eâ se excellentius gerere, studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates, et haberi et esse voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares: qui autem ita se gerebant ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur. Quis, ergo, iste optimus quisque? De numero si quæris, innumerabiles: neque enim aliter stare possemus. Sunt principes consilii publici: sunt, qui eorum sectam sequuntur: sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: sunt municipales, rusticique Romani: sunt negotia gerentes: sunt etiam libertini optimates. Numerus (ut dixi) hujus generis late et varie diffusus est: sed genus universum, ut tollatur error, brevi circumscribi ac definiri potest. Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec naturâ improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernandâ republicâ serviunt, defensores optimatium, ipsique optimates gravissimi et clarissimi cives numerantur, et principes civitatis. Quid est igitur propositum his reipublicæ gubernatoribus, quod intueri, et quo cursum suum dirigere, debeant?—Cic. *pro Sextio*, 45.

XVII.

Hæc autem fundamenta sunt, hæc membra, quæ tuenda principibus, et vel capitis periculo defendenda, sunt: religiones, au-

spicia, potestates magistratuum, senatûs auctoritas, leges, mos majorum, judicia, jurisdictio, fides, provinciæ, socii, imperii laus, res militaris, ærarium. Harum rerum tot atque tantarum esse defensorem et patronum, magni ingenii est magnæque constantiæ. Etenim in tanto civium numero, magna multitudo est eorum qui, aut propter metum pœnæ, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesque reipublicæ quærant; aut qui, propter insitum quemdam animi furorem, discordiis civium ac seditione pascantur; aut qui, propter implicationem rei familiaris, communi incendio malint quam suo deflagrare. Qui cum auctores sunt et duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in republicâ fluctus excitantur: ut vigilandum sit iis qui sibi gubernacula patriæ depoposcerunt, enitendumque omni scientiâ ac diligentiâ, ut, conservatis his, quæ ego paulo ante fundamenta ac membra esse dixi, tenere cursum possint, ac capere otii portum et dignitatis. Hanc ego viam si aut asperam, aut arduam, aut plenam esse periculorum aut insidiarum, negem, mentiar; præsertim cum id non modo intellexerim semper, sed etiam præter ceteros senserim. Majoribus copiis oppugnatur respublica quam defenditur, propterea quod audaces homines et perditi nutu impelluntur, et ipsi etiam sponte suâ contra rempublicam incitantur: boni—nescio quomodo—tardiores sunt; et, principiis rerum neglectis, ad extremum ipsâ denique necessitate excitantur; ita ut nonnunquam, cunctatione ac tarditate, dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant. Propugnatores autem reipublicæ qui esse voluerunt, si leviores sunt, desciscunt: si timidiores, desunt: permanent illi soli, atque omnia reipublicæ causâ perferunt, qui sunt tales qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit: quem nulla unquam vis, nullæ minæ, nulla invidia labefecit: aut qualis nuper Q. Catulus, quem neque periculi tempestas, neque honoris aura, potuit unquam de suo cursu, aut spe aut metu, demovere.—Cic. *pro Sextio*, 46.

XVIII.

Hæc tamen via, hæc ratio reipublicæ capessendæ, olim erat magis pertimescenda, cum, multis in rebus, multitudinis studium aut populi commodum ab utilitate rei publicæ discrepabat.

Tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur. Populus libertatem agi putabat suam. Dissentiebant principes, et in salute optimatium temeritatem multitudinis et tabellæ licentiam pertimescebant. Agrariam legem Tib. Gracchus ferebat. Grata erat populo: fortunæ constitui tenuiorum videbantur. Nitebantur contra optimates, quod et discordiam excitari videbant, et, cum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari rempublicam propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. Jucunda res plebi; victus enim suppeditabatur large sine labore. Repugnabant boni, quod et ab industriâ plebem ad desidiam avocari putabant, et ærarium exhauriri videbatur. Nunc jam nihil est, quod populus a delectis principibusque dissentiat: nec flagitat rem ullam, neque novarum rerum est cupidus, et otio suo et dignitate optimi cujusque et universæ reipublicæ gloriâ delectatur. Itaque homines seditiosi ac turbulenti, quia nullâ jam largitione populum Romanum concitare possunt, quod plebes perfuncta gravissimis seditionibus ac discordiis otium amplexatur, conductas habent conciones. Num vos existimatis Gracchos aut Saturninum, aut quemquam illorum veterum qui populares habebantur, ullum unquam in concione habuisse conductum? Nemo habuit. Ipsa enim largitio et spes commodi propositi, sine mercede ullâ multitudinem concitabat. Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graves et honestos homines, sed populi judiciis atque omni significatione florebant. His in theatro plaudebatur; hi suffragiis, quod contenderant, consequebantur; horum homines nomen, orationem, vultum, incessum amabant. Qui autem adversabantur ei generi, graves et magni homines habebantur: valebant in Senatu multum, apud bonos viros plurimum: multitudini jucundi non erant; suffragiis offendebatur sæpe eorum voluntas; plausum vero si quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccâsset pertimescebat. Ac tamen, si quæ res erat major, idem ille populus horum auctoritate maxime commovebatur.—CIC. *pro Sextio*, 48, 49.

XIX.

Transeuntem Apenninum Hannibalem adeo atrox adorta est tempestas, ut Alpium fœditatem prope superaverit. Vento mixtus imber quum ferretur in ipsa ora, primo, quia aut arma

omittenda erant, aut contra enitentes vortice intorti affligebantur, constitere: dein, quum jam spiritum includeret, nec reciprocare animam sineret, aversi a vento parumper consedere. Tum vero ingenti sono cælum strepere, et inter horrendos fragores micare ignes: capti auribus et oculis metu omnes torpere. Tandem, effuso imbre, quum eo magis accensa vis venti esset, ipso illo, quo deprehensi erant, loco castra ponere necessarium visum est. Id vero laboris velut de integro initium fuit. Nam nec explicare quidquam nec statuere poterant; nec, quod statutum esset, manebat, omnia perscindente vento et rapiente: et mox aqua levata vento, quum super gelida montium juga concreta esset, tantum nivosæ grandinis dejecit, ut, omnibus omissis, procumberent homines, tegminibus suis magis obruti quam tecti. Tantaque vis frigoris insecuta est, ut, ex illâ miserabili hominum jumentorumque strage quum se quisque attollere ac levare vellet, diu nequiret, quia torpentibus rigore nervis, vix flectere artus poterant.—Livy, xxi. 58.

XX.

Romæ senatui populoque, post receptam Capuam, non Italiæ jam major, quam Hispaniæ, cura erat; et exercitum augeri et imperatorem mitti placebat. Nec tamen, quem mitterent, satis constabat, quam illud, ubi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum eorum succederet, extraordinariâ curâ deligendum esse. Quum alii alium nominarent, postremum eo decursum est, ut populus proconsuli creando in Hispaniam comitia haberet, diemque comitiis consules edixerunt. Primo expectaverant, ut, qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quæ ut destituta expectatio est, redintegratus luctus acceptæ cladis, desideriumque imperatorum amissorum. Mæsta itaque civitas, prope inops consilii, comitiorum die in campum descendit: atque in magistratus versi circumspectant ora principum, aliorum alios intuentium, fremuntque adeo perditas res desperatumque de republicâ esse, ut nemo audeat in Hispaniam imperium accipere: quum subito P. Cornelius, illius, qui in Hispaniâ ceciderat, filius, quatuor et viginti ferme annos natus, professus se petere, in superiore, unde conspici posset, loco constitit. In quem postquam omnium ora conversa sunt,

clamore ac favore ominati sunt felix faustamque imperium.—Livy, xxvi. 18.

XXI.

Unus inventus est suasor legis C. Terentius Varro, qui priore anno prætor fuerat, loco non humili solum sed etiam sordido ortus. Patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis, filioque hoc ipso in servilia ejus artis ministeria usum. Is juvenis, ubi ex eo genere quæstûs pecunia a patre relicta animos ad spem liberalioris fortunæ fecit, togaque et forum placuere, proclamando pro sordidis hominibus causisque adversus rem et famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honores pervenit. Quæsturâ quoque, et duabus ædilitatibus et præturâ perfunctus, jam ad consulatûs spem quum attolleret animos, haud parum callide auram favoris popularis ex invidiâ dictatoriâ petiit, scitique plebis unus gratiam tulit. Omnes eam rogationem, quique Romæ, quique in exercitu erant, æqui atque iniqui, præter ipsum dictatorem, in contumeliam ejus latam acceperunt. Ipse, quâ gravitate animi criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eâdem et populi in se sævientis injuriam tulit: acceptisque in ipso itinere literis senatusque consulto de æquato imperio, satis fidens haudquaquam cum imperii jure artem imperandi æquatam, cum invicto a civibus hostibusque animo ad exercitum rediit.—Livy, xxii. 25, 26.

XXII.

Adolescens deinde ad Æbutiam se amitam contulit, causamque ei, cur esset a matre ejectus, narravit: deinde ex auctoritate ejus postero die ad consulem, arbitris remotis, rem detulit. Consul post diem tertium se jussum redire dimisit: ipse Sulpiciam, gravem feminam, percunctatus est, 'Ecquam anum Æbutiam ex Aventino nosset?' Quum eam nosse probam et antiqui moris feminam, respondisset; 'opus esse sibi eâ conventâ' dixit: 'mitteret nuntium ad eam, ut veniret.' Æbutia accita ad Sulpiciam venit; et consul paullo post, velut forte intervenisset, sermonem de Æbutio, fratris ejus filio infert. Lacrimæ mulieri obortæ, et miserari casum adolescentis cœpit, qui spoliatus fortunis, a quibus minime oporteret, apud se tunc esset, ejectus a

matre, quod probus adolescens obscœnis, ut fama esset, sacris initiari nollet. Satis de Æbutio exploratum ratus consul, non vanum auctorem esse, dimissâ Æbutiâ, socrum rogat Hispalam, indidem ex Aventino libertinam, non ignotam viciniæ, arcesseret ad sese: esse eam quæ percunctari vellet.—Livy, xxxix. 11.

XXIII.

Quæ est ista in commemorandâ pecuniâ tuâ tam insolens ostentatio? Solusne tu dives? Quid, si ne dives quidem? quid, si pauper etiam? Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor, in eo, cui tanta possessio sit, ut ad liberaliter vivendum facile sufficiat; qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus oportet tuus te judicet divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuæ. Nihil sibi deesse putet: nihil curet amplius. Satiatus est, aut contentus etiam, pecuniâ? concedo, dives es. Sin autem, propter aviditatem pecuniæ, nullum quæstum turpem putas: si quotidie fraudas, decipis, pacisceris; si socios spolias, ærarium expilas; si testamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, atque ipse supponis; hæc utrum abundantis, an egentis signa sunt? Animus hominis dives, non arca, appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum. Nam ut iis qui honeste rem quærunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quæsito; sic, qui videt domi tuæ accusatorum atque judicum consociatos greges; qui pecuniosos et nocentes reos, eodem te auctore, corruptelam judicii molientes; qui tuas mercedum pactiones in patrociniis, intercessiones pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimissiones libertorum ad defœnerandas diripiendasque provincias: quis hunc non putet confiteri, sibi quæsito opus esse?—Cic. *Paradox.* vi. 1, 2.

XXIV.

Tu mihi cum in circulo decipiare adversarii stipulatiunculâ, cum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur; ego tibi ullam causam majorem com-

mittendam putem? Citius, hercule, is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernârit. Quid? Si ne parvæ quidem causæ sunt, sed sæpe maximæ, in quibus certatur de jure civili; quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ullâ scientiâ juris audet accedere? Quæ potuit igitur esse causa major, quam illius militis, de cujus morte cum falsus ab exercitu nuntius venisset, et pater ejus, re creditâ, testamentum mutâsset, et, quem ei visum esset, fecisset heredem, essetque ipse mortuus? Res delata est ad centumviros, cum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam? Nempe in eâ caussâ quæsitum est de jure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem neque exheredem scripsisset nominatim? Quid? nuper, cum ego Auratæ judicio privato causam defenderem; nonne omnis nostra in jure versata defensio est? Cum enim Marius ædes Auratæ vendidisset, neque servire quamdam earum ædium partem in mancipii lege dixisset, defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset, neque declarâsset, præstare debere. Quo quidem in genere familiaris noster Bucculeius, homo neque meo judicio stultus, et suo valde sapiens, et a juris studio non abhorrens, simili in re quodam modo nuper erravit. Nam cum ædes Fusio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fusius autem, simul atque ædificari cœptum est in quâdam parte urbis, quæ modo ex illis ædibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicumque particulæ cæli officeretur, quamvis esset procul, mutari lumina putabat.—Cic. *de Orat.* I. 38, 9.

XXV.

Nihil est aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates, fortunæque vicissitudines; quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo erunt jucundæ. Habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationem. Ceteris vero, nullâ perfunctis propriâ molestiâ, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. Quem enim nostrûm ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quâdam miseratione delectat? qui tum denique sibi avelli

jubet spiculum, posteaquam illi dictum est, clypeum esse salvum; ut, etiam in vulneris dolore, æquo animo cum laude moreretur. Cujus studium, in legendo, non erectum Themistoclis fugâ redituque retinetur? Viri sæpe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, expectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissimâ lectionis voluptate. Quo mihi acciderit optatius, si in hâc sententiâ fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum. A principio enim conjurationis usque ad reditum nostrum, videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse; in quo et illâ poteris uti civilium commutationum scientiâ, vel in explicandis causis rerum novarum, vel in remediis incommodorum; et si liberius (ut consuêsti) agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. Multam enim casus nostri tibi varietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, quæ vehementer animos hominum in legendo tenere possunt. Ac non vereor, ne assentatiunculâ quâdam aucupari tuam gratiam videar, cum hoc demonstrem, me a te potissimum ornari celebrarique velle.—Cic. *ad Diversos*, v. 12.

XXVI.

Si numerosum est in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis æqualibus, genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Nam si rudis et impolita putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis et profluens, quid est aliud causæ cur repudietur, nisi quod naturâ vocem modulantur ipsæ aures? Quod fieri, nisi inest numerus in voce, non potest. Numerus autem in continuatione nullus est: distinctio et æqualium et sæpe variorum intervallorum percussio numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus, in amni præcipitante non possumus. Quod si continuatio verborum soluta multo est aptior atque jucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta, membra illa modificata esse debebunt; quæ si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus: sic enim has orationis conversiones Græci nominant.

Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur: neque sunt hæc rhythmicorum aut musicorum acerrimâ normâ dirigenda. Efficiendum est illud modo nobis, ne fluat oratio, ne insistat interius, ne excurrat longius; ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate et quasi conversione verborum, sed sæpe carpenda membris minutioribus oratio est, quæ tamen ipsa membra sunt numeris vincienda.—CIC. *de Orat.* III. 48.

XXVII.

Magnæ partis fuga inde primum cœpit: et jam nec lacus, nec montes obstabant pavori. Per omnia arta præruptaque velut cæci evadunt: armaque et viri super alium alii præcipitantur. Pars magna, ubi locus fugæ deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus humerisque exstare possunt, sese immergunt. Fuere, quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit. Quæ ubi immensa ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus, aut nequicquam fessi vada retro ægerrime repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia ferme primi agminis, per adversos hostes eruptione impigre factâ, ignari omnium, quæ post se agerentur, ex saltu evasere, et, quum in tumulo quodam constitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quæ fortuna pugnæ esset, neque scire nec perspicere præ caligine poterant. Inclinatâ denique re, quum incalescente sole dispulsa nebula aperuisset diem, tum liquidâ jam luce montes campique perditas res stratamque ostendere fœde Romanam aciem. Itaque, ne in conspectos procul immitteretur eques, sublatis raptim signis, quam citatissimo poterant agmine, sese abripuerunt.—LIVY, XXII. 6.

XXVIII.

Et hoc et insequenti anno pestilentia fuit. Et quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divinâ levaretur, victis superstitione animis, ludi scenici, nova res bellicoso populo—nam circi modo spectaculum fuerat—inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur. Ceterum parva—ut ferme principia omnia—et ea ipsa

peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruriâ acciti haud indecoros motus more Tusco dabant. Imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, cœpere; nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res sæpiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis jaciebant; sed impletas modis saturas, descripto ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius, post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, dicitur, quum sæpius revocatus vocem obtudisset, veniâ petitâ puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Postquam lege hâc fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, et ludus in artem paullatim verterat; juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit; quæ exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt.—LIVY, VII. 2.

XXIX.

Ita quum indices ambo in potestate essent, rem ad senatum consul defert, omnibus ordine expositis, quæ delata primo, quæ deinde ab se inquisita forent. Patres pavor ingens cœpit, quum publico nomine, ne quid eæ conjurationes cœtusque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent, tum privatim suorum vicem, ne quis affinis ei noxæ esset. Censuit autem senatus gratias consuli agendas, quod eam rem et cum singulari curâ et sine ullo tumultu investigâsset. Quæstionem deinde de sacris nocturnis extra ordinem consulibus mandant: indicibus, Æbutio ac Fecenìæ, ne fraudi ea res esset, curare, et alios indices præmiis invitare jubent. Consules ædilibus curulibus imperârunt, ut sacerdotes ejus sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi ad quæstionem servarent; ædiles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent. Triumviris capitalibus mandatum est, ut vigilias disponerent per urbem, servarentque, ne qui nocturni cœtus fierent.—LIVY, XXXIX. 14.

XXX.

Quod si vituperandi sunt qui reticuerunt, quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, non negotiandi causâ contulisset, dictitabat se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis; et simul ad cenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius piscatores ad se convocavit et ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cenam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium, cymbarum ante oculos multitudo; pro se quisque, quod ceperat, adferebat: ante pedes Pythii pisces abiciebantur. Tum Canius, 'Quæso,' inquit, 'quid est hoc, Pythi? tantumne piscium? tantumne cymbarum?' Et ille, 'Quid mirum?' inquit; 'hoc loco est Syracusis quidquid est piscium; hic aquatio, hâc villâ carere isti non possunt.' Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat. Emit homo locuples et cupidus tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos. Nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos, venit ipse mature, scalmum nullum videt. Quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret. 'Nullæ, quod sciam,' inquit ille; 'sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar quid accidisset.'—Cic. *de Off.* III. 14.

XXXI.

Mos popularium partium et senatûs factionum, atque omnium malarum artium, paucis ante annis Romæ ortus est, otio et abundantiâ earum rerum, quæ prima mortales ducunt. Nam, ante Carthaginem deletam, populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant: neque gloriæ, neque dominationis certamen inter cives erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed, ubi illa formido mentibus decessit, ea, quæ secundæ res amant, lascivia atque

superbia, incessere. Namque cœpere, nobilitas dignitatem, populus libertatem, in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt; respublica, quæ media erat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat; plebis vis, soluta atque dispersa in multitudine, minus poterat: paucorum arbitrio belli domique agitabatur: penes eosdem ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ triumphique erant: populus militiâ atque inopiâ urgebatur: prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant.—Sallust, *Jug.* 41.

XXXII.

Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asiâ rediens, cum ab Æginâ Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextrâ Piræus, sinistrâ Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: 'Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidûm cadavera projecta jaceant? Visne tu te cohibere, et meminisse hominem te esse natum?' Crede mihi: cogitatione eâ non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta deminutio facta est: omnes provinciæ conquassatæ sunt: in unius mulierculæ animulâ si jactura facta est, tanto opere commoveris? quæ si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit; quoniam homo nata fuerat. Ab hisce tu rebus animum ac cogitationem tuam avoca; atque ea potius reminiscere, quæ digna tuâ personâ sunt: illam, quamdiu ei opus fuerit, vixisse; unâ cum republicâ fuisse; te, patrem suum, prætorem, consulem, augurem vidisse; adolescentibus primariis nuptam fuisse; omnibus bonis perfunctam esse; cum respublica occideret, vitâ excessisse.—Cic. *ad Divers.* IV. 5.

XXXIII.

Interim certior factus Publius Sulla, quem discedens castris præfecerat Cæsar, auxilio cohorti venit cum legionibus duabus:

cujus adventu facile sunt repulsi Pompeiani. Neque vero conspectum aut impetum nostrorum tulerunt: primisque dejectis, reliqui se verterunt, et loco cesserunt. Sed insequentes nostros, ne longius prosequerentur, Sulla revocavit. Ac plerique existimant, si acrius insequi voluisset, bellum eo die potuisse finiri. Cujus consilium reprehendendum non videtur; aliæ enim sunt legati partes, aliæ imperatoris: alter omnia agere ad præscriptum: alter libere ad summam rerum consulere debet. Sulla, a Cæsare castris relictus, liberatis suis, hoc fuit contentus, neque prælio decertare voluit, ne imperatorias sibi partes sumpsisse videretur. Pompeianis magnam res ad receptum difficultatem afferebat. Nam, ex iniquo progressi loco, in summo constiterant: si per declive se reciperent, nostros ex superiore insequentes loco verebantur; neque multum ad solis occasum temporis supererat: spe enim conficiendi negotii prope in noctem rem deduxerant. Ita, necessario, atque ex tempore capto consilio, Pompeius tumulum quemdam occupavit, qui tantum aberat a nostro castello, ut telum tormentumve missum adigi non posset.—CÆSAR, *de Bell. Civ.* III. 51.

XXXIV.

Nostræ naves duæ, tardius cursu confecto, in noctem conjectæ, cum ignorarent, quem locum reliquæ cepissent, contra Lyssum in anchoris constiterunt. Has, scaphis minoribusque navigiis compluribus missis, Crassus, qui Lyssi præerat, expugnare parabat: simul de deditione eorum agebat, et incolumitatem deditis pollicebatur. Harum altera navis ducentos viginti ex legione tironum sustulerat: altera ex veteranâ paullo minus ducentos. Hic cognosci licuit, quantum esset hominibus præsidii in animi fortitudine. Tirones enim, multitudine navium perterriti, et salo nauseâque confecti, jurejurando accepto nihil iis nocituros hostes, se Crasso dediderunt: qui omnes, ad eum perducti, contra religionem jurisjurandi in ejus conspectu crudelissime interficiuntur. At veteranæ legionis milites, item conflictati et tempestatis et sentinæ vitiis, nihil ex pristinâ virtute remittendum putaverunt; sed, tractandis conditionibus, et simulatione deditionis extracto primo noctis tempore, gubernatorem in terram navem ejicere cogunt; ipsi, idoneum locum nacti, reliquam noctis

partem ibi confecerunt, et, luce primâ, missis ad eos a Crasso equitibus, se defenderunt, et, nonnullis eorum interfectis, incolumes ad nostros sese receperunt.—CÆSAR, *de Bello Civ.* III. 28.

XXXV.

Vetus illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. Quota enim quæque res evenit prædicta ab istis? aut, si evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit? Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. 'An tu,' inquit, 'carunculæ vitulinæ mavis, quam imperatori veteri, credere?' Quid? ipse Cæsar, cum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? Quod ni fecisset, uno in loco omnes adversariorum copiæ convenissent. Quid ego haruspicum responsa commemorem—possum equidem innumerabilia—quæ aut nullos habuerint exitus, aut contrarios? Hoc civili bello, quam multa luserunt! quæ nobis in Græciam Româ responsa haruspicum missa sunt? quæ dicta Pompeio? etenim ille admodum extis et ostentis movebatur. Non lubet commemorare, nec vero necesse est, tibi præsertim, qui interfuisti. Video tamen, omnia fere contra, ac dicta sint, evenisse. Vates Bœotios credis Lebadiæ vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu, victoriam esse Thebanorum, quia galli victi silere solent, canere victores. Hoc igitur per gallinas Jupiter tantæ civitati signum dedit? An illæ aves, nisi cum vicerint, canere non solent? At tum canebant, nec vicerant. Id enim est, inquies, ostentum.—CIC. *de Divin.* II. 24.

XXXVI.

Explodatur igitur hæc somniorum divinatio pariter cum ceteris. Nam, ut vere loquamur, superstitio fusa per gentes oppressit omnium fere animos atque hominum imbecillitatem occupavit. . . . Nec vero superstitione tollendâ religio tollitur. Nam et majorum instituta tueri sacris cærimoniisque retinendis sapientis est, et esse præstantem aliquam æternamque naturam, et eam

suspiciendam admirandamque hominum generi pulchritudo mundi ordoque rerum cælestium cogit confiteri. Quam ob rem, ut religio propaganda etiam est, quæ est juncta cum cognitione naturæ, sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ. Instat enim et urget, et, quo te cunque verteris, persequitur, sive tu vatem sive tu omen audieris, sive immolaris sive avem aspexeris: si Chaldæum, si haruspicem videris: si fulserit, si tonuerit: si tactum aliquid erit de cælo: si ostenti simile natum factumve quidpiam: quorum necesse est plerumque aliquid eveniat: ut nunquam liceat quietâ mente consistere. Perfugium videtur omnium laborum et solicitudinum esse somnus. At ex eo ipso plurimæ curæ metusque nascuntur, qui quidem ipsi per se minus valerent, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ii quidem contemptissimi, sed in primis acuti, et consequentia et repugnantia videntes.—Cic. *de Divin.* II. 72.

XXXVII.

Quamquam philosophi quidam ornate locuti sunt—siquidem Theophrastus divinitate dicendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, et Xenophontis voce Musas locutas ferunt—tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet. Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt quam incitare; sic de rebus placatis ac minime turbulentis docendi causâ, non capiendi loquuntur, ut in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis quam necesse sit facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de quâ nunc agitur, secernere. Mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris, sed soluta liberius; casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Sophistarum [et oratorum] magis distinguenda similitudo videtur, qui eosdem volunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi. Hoc differunt, quod, cum sit iis propositum non perturbare animos sed placare, nec tam persuadere quam delectare, et apertius id faciunt quam nos et crebrius, concinnas magis sententias exquirunt quam probabiles, a re sæpe discedunt, intexunt fabulas, verba audacius transferunt, eaque ita disponunt ut pictores varietatem colorum. Huic generi historia finitima est,

in quâ et narratur ornate, et regio sæpe aut pugna describitur; interponuntur etiam contiones et hortationes; sed in his tracta quædam et fluens expetitur, non hæc contorta et acris oratio.—CIC. *Orator*, 19.

XXXVIII.

Id creditum vulgo. Unum Hannibalem se peti ab Romanis non fallebat; et ita pacem Carthaginiensibus datam esse, ut inexpiabile bellum adversus se unum maneret. Itaque cedere tempori et fortunæ statuit; et, præparatis jam ante omnibus ad fugam, obversatus eo die in foro avertendæ suspicionis causâ, primis tenebris vestitu forensi cum duobus comitibus ignaris consilii est egressus. Quum equi, quo in loco jussi erant, præsto fuissent, nocte Byzacium transgressus, postero die ad mare inter Achollam et Thapsum ad suam turrem pervenit. Ibi eum parata instructaque remigio excepit navis. Ita Africâ Hannibal excessit, sæpius patriæ quam suum eventum miseratus. Eodem die in Cercinam insulam trajecit. Ubi quum in portu naves aliquot Phœnicum onerarias cum mercibus invenisset, et ad egressum eum e nave concursus salutantium esset factus; percunctantibus legatum se Tyrum missum dici jussit. Veritus tamen, ne qua earum navis nocte profecta Thapsum aut Adrumetum nuntiaret, se Cercinæ visum, sacrificio apparari jusso, magistros navium mercatoresque invitari jussit: et vela cum antennis ex navibus corrogari, ut umbra—etenim media æstas forte erat—cœnantibus in litore fieret. Quantum res et tempus patiebatur, apparatæ celebratæque ejus diei epulæ sunt: multoque vino in serum noctis convivium productum. Hannibal, quum primum fallendi eos, qui in portu erant, tempus habuit, navem solvit. Ceteri sopiti quum postero die tandem ex somno pleni crapulæ surrexissent, aliquot horas referendis in naves collocandisque et aptandis armamentis absumpserunt. Carthagine et multitudinis, assuetæ domum Hannibalis frequentare, concursus ad vestibulum ædium factus est. Ut non comparere eum vulgatum est, in forum turba convenit principem civitatis quærentium, et alii fugam conscisse—id quod erat—alii fraude Romanorum interfectum vulgo fremebant: variosque vultus cerneres, ut in civitate aliorum alias partes foventium factionibus discordi.—LIVY, XXXIII. 48.

XXXIX.

Legi tuas literas, ex quibus intellexi, te Cæsari nostro valde jureconsultum videri. Est, quod gaudeas, te in ista loca venisse, ubi aliquid sapere viderere. Quod si in Britanniam quoque profectus esses, profecto nemo in illâ tantâ insulâ peritior te fuisset. Verumtamen subinvideo tibi, ultro te arcessitum ab eo, ad quem ceteri, non propter superbiam ejus, sed propter occupationem, adspirare non possunt. Sed tu in istâ epistolâ nihil mihi scripsisti de tuis rebus, quæ mihi non minori curæ sunt, quam meæ. Valde metuo, ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo, præsertim qui sagis non abundares: quamquam vos nunc istic satis calere audio. Quo quidem nuntio valde de te timueram. Sed jam satis jocati sumus. Ego de te ad Cæsarem quam diligenter scripserim, tute scis; quam sæpe, ego. Sed jam intermiseram, ne viderer liberalissimi hominis, meique amantissimi, voluntati erga me diffidere. Sed tamen his literis, quas proxime dedi, putavi esse hominem commonendum. Id feci. Quid profecerim, facias me velim certiorem: et simul de toto statu tuo consiliisque omnibus. Scire enim cupio quid agas, quid exspectes, quam longum tuum discessum a nobis futurum putes. Sic enim tibi persuadeas velim, unum mihi esse solatium quare possim pati te esse sine nobis, si tibi esse id emolumento sciam: sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius; me, qui te non Romam attraham; te, qui non huc advoles.—CIC. *ad Diversos*, VII. 10.

XL.

Hannibal, cum paucis equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum perfugit: omnia et ante aciem, et in prælio, priusquam excederet pugnâ, expertus; et confessione etiam Scipionis, omniumque peritorum militiæ, illam laudem adeptus, singulari arte aciem eo die instruxisse. Elephantos in primâ fronte: quorum fortuitus impetus atque intolerabilis vis, signa sequi, et servare ordines, in quo plurimum spei ponerent, Romanos prohiberet. Deinde auxiliares ante Carthaginiensium aciem, ne homines mixti ex colluvione omnium gentium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fugæ haberent: simul primum ardorem atque impetum hostium excipientes fatigarent;

ac, si nihil aliud, vulneribus suis ferrum hostile hebetarent. Tum, ubi omnis spes esset, milites Carthaginienses Afrosque: ut, omnibus aliis rebus pares, eo, quod integri cum fessis ac sauciis pugnarent, superiores essent: Italicos, intervallo diremptos, incertos socii an hostes essent, in postremam aciem summotos. Hoc edito velut ultimo virtutis opere, Hannibal, quum Adrumetum refugisset, accitusque inde Carthaginem sexto ac trigesimo post anno, quam puer inde profectus erat, redisset, fassus in curiâ est, non prælio modo se, sed bello victum, nec spem salutis alibi, quam in pace impetrandâ esse.—Livy, xxx. 35.

PART II.

EXERCISE I. (LONGFELLOW.)

REDOLET sane adhuc aureæ nescio quid majorum ætatis agrestis illa in Scandiâ vitæ ratio, quod et carminibus celebrari dignissimum videatur; adeo prisca fere simplicitas septentrionalem illam regionem obtinet, priscum fere silentium et tranquillitas. Vix extra urbem excesseris, atque illico quasi Circe aliquâ jubente omnis in prospectu situs in feram silvarum imaginem mutatur. Circa undique pinorum nemora, quorum desuper diffusi rami in flabelli speciem dependent, obsiti musco, rubrisque et cæruleis conis gravati. Sub pedibus autem lutea congesta folia stragulum efficiunt: cælum tepidum sudumque. Trajicis ponte ligneo rivulum argenteis undis decurrentem, inde in rus amœnissimum prodis sole villisque nitens. Adjacentes agros septa lignis contexta distinent. Portæ in itinere objiciuntur, puerorum gregibus recludendæ. Ruricolæ autem, si qui obvii, prætereunti caput aperiunt: si sternueris, pacem Dei adorant. Ædium quicquid in pagis oppidulisque est trabibus dolatis exstruuntur, et plerumque in rubrum colorem pictæ. Diversoriis areæ segmentis pineis constratæ odorem referunt. Ceterum apud plurimos pagos neque occurrit diversorium, et ipsi coloni invicem, qui illuc pervenerint, hospitio excipiunt.—J. Y. SARGENT.

II. (LORD MACAULAY, *Hist. of Eng.* vol. i. p. 25.)

Eadem res Annalium nostrorum fidei plurimum nocuit, plurimum profuit reipublicæ, quæ tot per sexcentos annos mutationibus crevit tamen potius quam novata est: isque, quo nunc utimur, rerum ordo ex antiquo illo, tanquam e semine arbor, e puero vir, enatus est; et multis recentibus vetera semper superfuerunt.

Hujusmodi civitatis multa abnormia bonis haud paucioribus compensantur. Scilicet aliorum respublica magis in speciem descripta est: nos soli nova consuetis, firma provectis, et quasi juventutis vim vetustatis prope immensæ majestati conjunximus.

GOLDWIN SMITH.

III. (JUNIUS.)

Si tibi, vir nobilissime, ingenium par vitæ voluntatique tuæ Natura annuisset, haud scio an alius magis exstiterit pertimescendus, qui in regno bene temperato in populi libertatem conjuraverit. Quum enim nihil famæ pudor, nihil timor supplicii, nihil ipse mentis cruciatus obsit, quominus deterrima magistratus ineat consilia, est tamen in eo aliquid solatii, quod infirmo sit animo atque imbecillo.

Tibi vero in iis rerum angustiis et in tanto discrimine versato si ingenium par esset periculo, jamdudum cogitare debes. Qui licet de voluntate tuâ judicium facere possis, de ingenio non potes. Quum enim fides et insipientia idem semper verbo valuerunt, hodie rei totius ratio mutatur, ut qui improbus sit fingat se esse sapientem. Quod sane, vir nobilissime, ne in te ipso admiseris, familiares tui verentur: ne, cum tute ipse pulchre noveris, moribus fretus, ultra ingenii vires progrediare.

IV. (BURKE.)

Cogitabam equidem, quo afflicti hujusce populi calamitates magis vos moverent, aliqua ex peste communi deligere, quæ tanquam miserrimæ illius fortunæ exemplum attente inspiceretis. Quippe ex malis omnibus quæ in vitam hominum incidere solent, hoc proculdubio maxime sensum attingit humanum: neque est cujusquam tam indomita superbia, quin hoc eum, quam sit naturâ debilis atque infirmus, fateri cogat. Atqui, ut verum fatear, rem ipsam honeste tractare nequeo. Tanta est et tam fœda hujusmodi malorum deformitas; adeo tetra fuere in patiendo, adeo in dicendo turpia: tantopere ipsam hominis naturam a propriâ sede pellere ac detrudere videntur, ut rem omnem pallio quasi coopertam esse mallem, et, quod ipse linguâ efferre non audeo, vos tacitâ modo mente cogitare.—E. COPLESTON.

V. (Gray's *Works.*)

Scribimus ut rescribas: nam prope desunt de quibus te certiorem faciam. Animos haudquaquam ereximus: quoniam autem nobismet ipsis satis placemus, lectulo ad focum posito commodissime strati recubamus. Quondam et legere libet: estque in manibus Cornelius; nondum tamen eo usque legendo pervenimus ut de eo judicium fiat; Pannonica modo ista, in primo Annalium, tardiora paullo visa. Illud tantum superest, ut moneamus, ne ceris illiberalius parcas: neve diem respondendi, qui tui sit arbitrii velim, longius producas.

Dabamus ad Popii Villam, a. d. v. Kal. Apriles.—W.

VI. (Arnold, *Rom. Hist.*)

Motis primâ luce castris, angustias exercitus ingreditur: incolæ autem, quippe cernentes hostium esse suas arces, primo despectare tranquilli, nec quidquam euntibus obstruere. Ut vero prærupta montis latera circumtrahi agmine longo angustoque Pœnos conspicati sunt: simul equos jumentaque, quocunque vestigiis insisterent, iniquitatibus luctari viæ: prædandi libidini parum poterat resisti, multifariamque ab imminentibus tumulis in Pœnos decurritur. Fœda inde colluvies: quippe in iis angustiis, ubi, modo quid tumultus incidisset, pronâ statim rupe gravia sarcinis jumenta detruderentur; equi autem, barbarorum icti telis, consternatione cruciatuque sævientes stragem cient.—W.

VII. (Lord Macaulay, *Restoration.*)

At mediam inter universi populi lætitiam non deerant auspicia sinistra. Milites in aperto campo instructi regem salutandum expectabant: ille quidem, capite benigne inclinato, manum præfectis cohortium demisit quam oscularentur; nihil vero blanditiæ regiæ egerunt: mæsta ac sinistra militum ora; quin, nisi sibi temperâssent, lætificum spectaculum, cui pars invitissima ipsi interessent, lugubri neque incruento fine esset fœdatum. Sed parum inter se consentiebant: quippe quorum erga duces æque ac socios fiduciam exemisset aliorum discidium, aliorum defectio: præterea, urbanus exercitus totus præsto erat in armis,

una cum ingenti subitariorum copiâ undique e rure sub principum atque ingenuorum fidelissimo quoque in unum coactorum, ut regi obviam irent gratulantes. Itaque sine bello civili discessum est: ipse, exul egregius, patriæ redditus, avitis in sædibus tuto requiescebat.—I. G. Smith.

VIII. (Junius.)

Quum ad secundas aut adversas res tantam vim habeat reipublicæ gerendæ ratio, unum illud tibi inquirendum erit, si vis forte magistratum ad trutinam expendere, quæ sit populi conditio. Quem si legibus obtemperantem, si opibus et negotiis valentem, si domi unanimem, foris illustrem, invenias, facile colligas ab hominibus ingenio, virtute, usu etiam et exercitatione præditis, civitatem regi. Quod si inquietos contra et sibimet ipsis diffidentes videmus, mercaturam post brevi tenuem et languentem, domi imperium a dissensionibus jactatum, foris ab omnibus despectum: his sane indiciis usi rempublicam ab infirmis, perditis, imbecillis administrari haud temere prædicamus.

IX. (Arnold, *Rom. Hist.*)

Alio etiam in loco Fortuna perinde rei Romanæ profuit. Macedonum legati, post fœdus cum Hannibale ad Tifata pactum, in Bruttios incolumes reversi, navim in Græciam conscendunt. Juxta tamen Calabriæ oram vectis, navis a classe Romanâ quæ ibi in statione erat capitur: legatique cum literis suis omnibus Romam mittuntur. Navis una ex iis quæ una navigârant e manibus Romanorum refugit, quæque facta essent ad regem detulit. Qui quum de priore fœdere numquam esset certior factus, legationem alteram ad Hannibalem misit: et quanquam his legatis et proficiscentibus et redeuntibus res prospere evadit, tantum damni moræ dispendia attulere, ut hoc anno nihil confici posset.—J. Y. Sargent.

X. (Arnold, *Pref. Thucyd.*)

Verum, non si quid nefandi etiam præter solitum excogitent delira impiorum, quales nunc vigent, ingenia, eo amentiæ perven-

tum est, quo evagabatur effrænata ista sophistarum licentia: scilicet, quantumcunque valeant improba temeritas et subtilissima astutia, quo fas nefasque misceantur, id omne isti olim tentabant, iidemque turpiter obmutuerunt Platonis redarguentis facundiâ, sapientiâ et inexpugnabili virtute. Hoc ferme modo fit, ut mores excultiores, etiamsi non modo ingenui quiddam extrudant, sed etiam consuetudinibus humanis nescio quid duri crassique calli obducant, discrimina saltem peropportuna apportent: quibus non minus quam ipsis commodis valde opus sit, ut virtus humana omnibus numeris absoluta evadat.—I. G. SMITH.

XI. (JUNIUS.)

Jam ad id periculi ventum est, quum adulatio nihil agat, neque falsis rerum decipiamur: ne ipsa quidem credulitas sibi amplius possit illudere. Fac venisse: proponamus ante oculos principem aliquem mitem atque benevolum; fac eum hoc puncto temporis et summi quod erga populum præstare debet officii et magnæ rerum suarum infamiæ factum esse conscium; hunc auxilia circumspicientem, consiliarios ad se vocantem, nihil nisi saluti reipublicæ votisque suorum consulentem. Quem ubi rerum statum tibi animo finxeris, digna sane admiratione res erit, si viro bono ac simplici aditus ad regem pateat, quibus eum modis allocuturus sit.

Nolo equidem me de æstimatione consulis sollicitum videri. Suum ipse negotium agit, in quo summa levitas et improbissima inconstantia haud scio an reprehendenda sit. Cum vero rex qui reipublicæ personam sustinet, in lucem atque in oculos hominum prodit, dignitati ejus consulendum est. Sit occasio ista gravis et tempestiva, modus agendi bene provisus, res ipsa fortiter et prudenter peracta.

XII. (GIBBON, *Decline and Fall.*)

Urbs ipsa loci naturâ crebris inundationibus obnoxia. Nam præter ipsum Tiberim etiam alia fluenta quot per utrumque clivum effundit Apenninus, brevi minimeque æquabili cursu feruntur; debili per æstatis ardorem flumine, mox aucta vernis hibernisve imbribus aut nivibus liquefactis, vehementi gurgite

devolvuntur. Ita quoties reluctante vento amnis a mari in adversum retruditur, neque inusitatam superurgentis aquæ vim justus alveus capere potest, protinus super ripas sine more egressus in adjacentis agri oppida camposque quam latissime exundat. Haud diu post primum cum Pœnis bellum feliciter patratum, Tiberis insolitis fluviis tumebat, adeo ut, diluvio præter omnem vetustioris memoriæ consuetudinem oborto, quodcunque sub Romæ collibus in plano ædificiorum esset, obrueret vastaretque. Quæ pestis tamen pro iniquitate locorum diverso opere stragem eandem peperit, quippe uti ædificia aut repentino impetu hausta abriperet flumen, aut diuturnitate fluctuum corrosa sublapsaque stagna submergerent. Sub Augusto recrudescit malum, quum fræna fastidiens fluvius vicina ripis templa Palatiaque passim everteret; igitur et ab eo Imperatore exhaustus labor in alveo purgando diducendoque, simulque struem et materiem avehendo, et a succedentibus adversus simile discrimen quam maxime cautum. Inito consilio in novos rivos seu Tiberim seu per quæ alitur flumina divertendi, superstitione aut cupiditate privatorum diu et acriter obstitum: neque sane utilitas facti labori tanto impensæque vitiosi operis par fore videbatur. Constat vero, sicubi et alias de licentiâ naturæ triumphavit humanum ingenium, hanc unam omnium maxime insignem reportâsse victoriam a fluviis sub jugo missis. Quodsi tanto accolis detrimento sub Imperatore satis firmo et strenuo Tiberis insultabat, quomodo obviam iri injuriis ejus, aut quis tandem enumerare damna posset, quæ, lapso Imperio Occidentali, urbi ingereret? Postremo ipsum malum, ut fit, sibi medebatur. Ferunt enim cæmentorum struem colluviemque terræ a superiore loco coactam, ipsum Romæ solum pedes fere XIV. aut XV. super veterem situm sustulisse. Hodie satis tuta a petulantiâ fluminis urbs habetur.—J. Y. SARGENT.

XIII. (CATO.)

Domi et intus durus, tristis, implacabilis, molliores animi affectus relegabat tanquam suopte ingenio et justitiâ abhorrerent, et falsa quædam agendi principia, gratiæ, clementiæ, misericordiæ suggererent. Idem erat et in republicâ, qui nonnisi hanc sibi legem proposuisset, quod rectum esset, uti id amplecteretur, nullâ rerum temporumve ratione habitâ, ut ne vim quidem coer-

centium respiceret. Quam enim auctoritatem optimatium ita tractare oportebat, ut si quid inesset mali molliret, si quid boni, eliceret, eandem ad atrocissima quæque nunquam non provocando stimulabat: ita optimo quidem utens animo sæpe reipublicæ defuit. Ita se plerumque gerebat. Constat tamen ex quibusdam rebus, quarum supra mentionem fecimus, non semper inexpugnabilem fuisse animi constantiam, sed aditus quosdam superbiæ, famæ, studio partium præbuisse: quem si quis assentationibus aliquatenus tractare vellet, a solidâ recti et veri normâ facile erat deducturus. Quæ novissima egit et ingenio et sectæ valde congruebant: postquam enim is esse qui fuerat non jam poterat, aut malis vitæ bona compensabantur [quam isti quidem philosophi satis justam moriendi caussam esse voluerunt], mortem sibi conscivit, eo animo, eâ constantiâ usus, ut occasionem sibi convenienter moriendi lubentissime nactum esse credideris. Quid multa? Is erat quem admireris potius quam ames, quem laudandum potius quam exemplo præponendum haud injuriâ dixeris.—R. SHILLETO.

XIV.

Deinde it visum Imperator locum in quo pugnatum est: id vero spectaculum occurrit teterrimum ita ut nullum magis. Cuncta enim visa undique augebant immanitatem rei. Cælum contristatum, frigidus imber, venti maxima violentia: collapsa in cineres tecta, ipsa campi planities quasi occata et fragmentis ruinisque conspersa: circa, quam latissime complecti potuit oculorum acies, agri, ut fit in regionibus Trioni subjectis, lugubres adspectu, funebrem in modum virentes: campi ex omni parte milites huc illuc inter occisorum corpora vagantes; simul vulnera atrocissima, horrenda dictu: stationes tacitæ: nullus usquam cantus triumphantium, nulla colloquentium vox; sed triste per omnia ac mæstum silentium. Circum aquilas tribuni circumstabant; rarique et qui vix ad tutanda insignia idonei essent milites. Illis vestes vi certaminis laceratæ, frequenti cruore infectæ: vultus tamen habitusque paullo adhuc jactantiores: ita ut sordium, doloris, inopiæ immemores obviam prodeuntem Imperatorem ovantes clamore exciperent. Rarus tamen iste clamor, simulque invitis expressus videbatur; huic enim exercitui, con-

silii eidem audaciæque capacissimo, ea indoles, ut de summâ rerum optime pro se quisque judicare posset. Milites autem vulgo maxima admiratio invasit, tot cæsos sese hostes, tot vulneratos, tam paucos captivos invenisse. Hi enim universi vix octingentorum numerum æquabant. Atqui, ex horum habitâ ratione, vincentibus quanti victoria esset, æstimare soliti. Namque interfectorum capita non tam victoriam quam victorum animos arguere. Quodsi reliquis recto ordine, integrâ adhuc spe, integris animis, etiam firmorum bellicorumque speciem ferentibus, receptus e prælio pateret, cui tandem sibi lucro sterilem pugnæ situm esse nactos? Scilicet in hâc magnitudine regionum satis superque superesse campi, hujusmodi victoriarum amantibus.—J. Y. Sargent.

XV. (Arnold, *Rom. Hist.*)

Conscius mihi sum, Quirites, vos pro inimico vestro ordini habere, quicunque tribus hisce rogationibus, a tribunis vestris proferendis, nolit suffragari: neque equidem inficias eo, quin nonnulli ex iis, qui reclamârint, vobis non sint amicissimi: quorum invidia non est cur miremur, si ad alios quoque iisdem, ut videtur, vestigiis ingredientes perveniat. Ego vero adsum, ut qui sexties jam antea quum pace tum bello spectatus, nunc septimum tribunus militum a vobis designer: quem alias unquam inimicum experti pessimo nunc exemplo iterum periclitati essetis. Sin contra persuasum habetis, me vobis hactenus consuluisse, eundem ipsum hunc quoque me adstare censeatis, etiamsi loquar, qualia vobis, præ præsenti animorum affectu, minime lubeat audire.—I. G. Smith.

XVI. (Jeremy Taylor.)

Qui bene mori cupit, is mortem indies expectet oportet, is sepulchri ostia quotidie pulset; quod si fecerit, nunquam ei ea ostia in rem malam patebunt. Commune hoc omnium bonorum ac sapientium fuit preceptum: qui semper voluerunt, præsertim quum dies festos solutiore lætitiâ agerent, aliquantum cineris ut ita dicam vino immiscere, quod de fatali vitæ termino commoneret. Hujusmodi fuit nigrum illud Saladini indusium; hujus-

modi cippus Imperatori Constantinopolitano quo die coronam sumeret offerri solitus; hoc sibi voluerunt calami illi duo Episcopi Romani cum lino et cereo positi: hoc cadaver evisceratum in Ægypto inter epulas adhibitum: hoc denique Trimalcionis illud apud Petronium convivium, in quo allata sunt mortui ossa ex argento ficta, ita ut singulis convivis singuli spondyli responderent hanc in sententiam inscripti: 'Et huic et tibi moriendum est: proinde ne inter vos aspiciatis, quum imago hæc tristis ad unumquemque vestrum pariter pertineat.' Quæ quidem omnia per similitudines et ambages grave quoddam et cogitatione dignum significant: neque enim is temere lasciviet animo nec lætitiâ se aut vino lymphatum agi sinet, nec superbiâ aut vindictæ studio tumere, qui omissis nugis secum reputaverit migrandum sibi post paullo esse in domum tenebricosam atque ignobilem, quo quum venerit, corpus vermibus dedi oportere, animam vero eâ conditione uti, quam hâc in vitâ ipse eam mereri voluerit.—E. Palmer.

XVII. (Holden, *Fol. Cent.*)

Hoc anno qui aut in belli usus aut alio consilio regi fiscum administraverant, Pontificis jussu in quæstionem vocati. Ex quibus quidam aut largitione aut calliditate effugerunt, alii magnis pecuniis multati; unde videbatur ita frugi servi Pontificem officio functum esse, ut alium præter se neminem domino suo dolum inferre passus sit. Hinc pari severitate usus qui perjurii rei essent maxima sævitia puniendos curavit: quam ob rem numquam eum satis laudare posse videor. Etenim quicquid usquam aliud insidiarum est, vitam aut famam aut bona compilare, hæc una cuncta simul homini eripere potest. Nonnulla etiam in pauperum gratiam judicia instituta, contra nobiles præsidium, quæ primo maxime celebrata sunt: postea, multis in judicando moris offensisque interpositis, a plebe deserta; omnes enim sub hoc prætextu res novas suspicati ad jus publicum confugere. Neque tamen Pontifici justitiæ publicæ laudem denegaverim, cui, si scriptoribus credendum, magnopere studebat. Itaque, sicubi delinqueretur, quam acerrime in reos animadvertebat: nisi si prius litem decidendam curâssent.

J. Y. Sargent.

XVIII. (GIBBON.)

Famæ appetens Trajanus fuit: sed enim quamdiu homines hominum confectores quam servatores impensiore laude prosequentur, tamdiu bellicæ gloriæ sitis proprium eximio cuique vitium erit. Hunc autem Alexandri laudes longâ poetarum scriptorumque serie traditæ in periculosam æmulationis aleam accenderant. Et Romanus quidem Imperator, sicut ille fecerat, adversus Orientis nationes profectus est: non sine suspirio conquestus tamen, sibi per ætatem provectam vix relinqui spem suâ viri Macedonis famam adæquandi. Successu autem quamvis parum diuturno, nec tardo et speciosissimo usus est. Namque Parthi degeneres intestinâ dissensione infracti, raptim terga verterunt. Victor Tigrim fluvium devectus est a montibus Armeniis usque ad Sinum Persicum: et singulari fortunâ primus idem ultimusque ducum Romanorum longe distantes illas aquas navigabat. Arabiæ ora classibus vastata: falsâque deceptus spe tanquam mox Indiæ fines accessurus lætabatur. Miratur identidem Senatus novas nationes, nova nomina, sub imperium redactas. Nuntiatum est principes Bospori, Colchidis, Iberiæ, Albaniæ, ipsum denique Parthorum regem ab Imperatoris manu sceptris donatos: liberas autem gentes quæ Mediam et Carduchiana juga incolant, fidem implorâsse: Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, opimas regiones, provincias factas.—J. Y. SARGENT.

XIX. (ARNOLD, *Rom. Hist.*, vol. ii. p. 70.)

Tertiam Licinii rogationem, quæ obæratis mederetur, lex Agraria irrita consilii per se ipsa frustrata est. Nonnihil sanè in eo erat boni, quod, de capite deducendo quicquid usuris pernumeratum fuisset, duplicato onere debitores levati sunt: quod solutionis hora prolata, dum interea ab acerbitate legum ultimâ vacarent. Quibus autem neque ipsa esset pecunia, nec unde quæreretur, dies tantum differebatur; neque enim solvendo erant vel quæ deductis usuris imminuta essent. Potuere quidem opportunâ agrorum largitione ab angustiis expediri: ea vero quum nulla esset, brevi recrudescit fenebre malum. Neque enim in futurum lege Liciniâ cautum est: nullo usuras legitimas

termino coercebat. Quibus itaque intra diem reliquum æs alienum solvendum esset, ad versuram decurrendum erat: fenoris autem ratio e creditoribus pendebat.—W.

XX. (Sydney Smith.)

Ecquis est Hibernus, qui non sibi gloriosum ducat, quod Grattani æqualis fuerit? Ecquis est, cui non identidem vel amicos patriæ infidos vel manifestos hostes aversatus ab hoc uno solatium petiverit? Ecquis est, cui non hujus viri venerit in mentem, quum populationibus Hibernia, quum cædibus, quum incendiis, vastaretur? Etenim hic unus neque potentiorum minis unquam terreri, nec largitorum muneribus corrumpi potuit: Hiberniam solum cogitavit; Hiberniæ causâ vixit; Hiberniæ inventionem pulcherrimam, sales facetissimos, masculam virtutem, splendidissimam denique eloquentiam quam omnes admirati sunt, dedicavit. Scilicet eo loco natus est, eo ingenio præditus, ut summam poesos laudem, ut peritiæ forensis, ut literarum, ut omnium denique artium quæ maximi apud homines habentur, posset sperare. Nihil tamen magnificentius, nihil homine dignius judicavit, quam ut aliis hominibus felicitatem ac libertatem vindicaret. Itaque in hoc instituto quinquaginta annos ita perseveravit, ut nunquam oculos alio flecteret, nunquam de receptu cogitaret, nullum unquam consilium in corde intus foveret, quod non potuisset libenter tum Dei oculis tum hominum subjicere. Occidit heu citius! Atqui ne unus quidem dies in vitâ illâ honestâ demonstrari potest, de quo non optimus quisque Hibernorum magis gloriaretur, quam de omni vitâ quod ad rempublicam attinet, ceterorum, qui transfugarum partes et proditorum patriæ in singulos annos repræsentant.—E. Palmer.

XXI. (Dryden's *Essay on Satire.*)

Juvenalis, poeta vegetiore et plane virili ingenio, tantum me delectat quantum naturæ meæ convenit: spes de se conceptas ratas facit: rem propositam ad vivum resecat: ipse paullo stomachosior, mihi quoque stomachum movet: nihil a me alienum dicit: lectorem secum abducit, ita tamen ut finito itinere libenter substiteris. Qui si ulterius progrederetur, nimius esset: iter in

justam peregrinationem, voluptas in tædium transiret. Quoties finem facit, pro certo habeas materiem esse exhaustam, ingenium hominum in eâ exornandâ nihil amplius posse. Si eum in aliquo peccavisse censeas, vituperes sane quod in scribendo fere abundantior et quasi luxuriosior sit, quod, velut Anthecastus noster apud Laberium, plus loquatur quam postules, nec tamen plus quam velis. Adde quod sententiæ ejus Horatianis illis, ut non minus aptæ, sic multum sint excelsiores. Oratione utitur grandiloquâ et quidem nobiliore, versibus numerosioribus, verbis quorum sublimitas sententiis egregie conveniat. Quæ omnia plurimum faciunt ad lectorem delectandum, cujus quo major animus est, eo majore afficitur gaudio. Semper tolutim it Horatius, gradu incitatiore Juvenalis, sed ita ut cui nunquam nisi in plano equitandum sit. Cursu fertur vehementiore quam Horatius, nec tamen minus tuto; quâ etiam vehementiâ animus mirum quantum commovetur et erigitur.—J. CONINGTON, *Professor of Latin.*

XXII. (DISRAELI, *Curiosities of Literature.*)

Miles in Bastillam detrusus petiit ab eo qui carceri præerat ut sibi tibiâ suâ uti liceret, quæ dulcibus modis mala carceris consolaretur. Paucis post diebus dum tibiâ canebat, vidit alter ille Orpheus non sine admiratione mures plurimos e cavis exsilire delabique ex textilibus latebris aranearum greges, et quasi orbe facto circum stare donec inflaretur id quod vim tantam in mentes exercebat. Obstupuit primum tibicen: mox canere desiit: simul consessus omnis, utpote qui ad audiendum carmen, non ad videndum hominem convenisset, dilapsus est. Homo qui araneas maxime omnium aversaretur, nonnisi tertio post die tibiam ausus est repetere. Tum demum novitate rei victo fastidio canere rursus incœpit: quo facto longe major consessus quam adfuerat prius, confluxit. Paullo post centum numero amatores cantûs circum se habuit. Quum vero tot auditores contraxisset, exitium miseris homo subdolus ex sententiâ machinatus est. Petiit a custode ut sibi felem daret: acceptam in caveam condidit: mox emisit quum maxime gens hirsuta Orpheâ arte caperetur.—E. PALMER.

XXIII. (Holden, *Fol. Cent.*)

Piget me aliquem numero illorum quos dixi excipere tanquam infamiæ caussa: tantopere autem ab illis distabat M. Tullius, ut exemplum ejus neque omnino celare possem neque leviter prætermittere. Quippe ille vir vere magnus et patriæ servator, qui, dum patriam tutaretur, neque hominum factiosorum et jam desperantium contumelias neque sicariorum gladios pertimuerat, idem, cum pro patriâ infortunia patienda essent, tanto oneri ferendo se imparem ostendebat. Dehonestabat illam ipsam exsilii conditionem quam ei imposuerat Deus Opt. Max. eo scilicet consilio ut ad gloriam ejus quasi cumulus accederet. Quo eundum, quid faciendum esset, incertus, vel muliere meticulosior, vel infante impotentior, dignitatem, opes, splendidam inter populares gratiam queribundus desiderabat. Ignominiæ notam non delebant sed tantum altius inurebant dicendi calamistri. Flebat ruinas domus suæ a P. Clodio dirutæ: fortasse etiam tum temporis dolebat quod carendum esset Terentia, quam tamen post non ita multo repudiavit. Nempe viro quem semel prostravit dolor omni fiunt intolerabilia: quorum usu non delectabatur, ea nihilominus desiderat: onere jam prægravatus vel flocci pondus detrectat.—J. Conington.

XXIV. (Gibbon, *Decline and Fall.*)

Homo quidam de plebe perculsos atque abjectos nobiles miseratus an illudens ita describit: 'Stantes illi coram Tribuno, nudato capite, compositis in pectore manibus, defixis humi oculis, quantopere Di Boni! trepidabant.'

Nimirum proceres Romani, quamdiu Riensius justa ac reipublicæ commoda imperabat, oderunt illi quidem hominem cupiditatibus suis atque superbia infestum, nec poterant tamen eum ex animi sensu non revereri: mox sese supra modum efferentem despicere atque apertius odisse; spes etiam concepta evertendi imperii, cujus jam fides et auctoritas apud populum imminuta esset. Itaque vetus inter Colonnas et Ursinos dissidium probro communi parumper intermissum, et fortasse consilia, studia quidem certe consociata.

Forte sicarius quidam deprehensus et cruciatus proceres criminatus est, et Riensius tyranni jam mortem meritus, continuo tyrannicas rationes atque suspiciones inibat.

Eo ipso die principes inimicorum, aliis alia causatus, ad Capitolium vocavit; inter quos aderant Ursinorum quinque homines, Colonnarum tres. Mox omnes sese concilii aut epularum spe captos intelligebant, et cervicibus suis impendere sive dominantis sive judicantis gladium: nec minor insontibus quam culpæ consciis exspectatio mali. Postquam populus ad campanæ sonitum convenerat, illi de Tribuno interficiendo conjurasse arguuntur: et nonnullos fortasse calamitatis eorum miserebat; neque vox tamen ulla neque manus sublata est, quæ nobilissimos homines ab urgente exitio eriperet.—E. HAMILTON GIFFORD.

XXV. (HOLDEN, *Fol. Cent.*)

Erat profecto e pallidis illis macilentisque viris quos dicit Cæsar, qui insomnia et nimia cogitatione exerciti terrorem aliquando vel fortissimis incusserunt. Vultui tranquillo et immobili suberat acer fervidusque animus, qui ne involucrum quidem sibi operanti quasi prætentum commovebat, contra fraudem et studia pariter obstinatus: suberat ingenium multiplex, formidolosum, indefessum, ita facile ut nullam non ex tempore formam indueret, ita duratum ut nunquam a sua ipsius natura decederet, ita validum ut omnes fortunæ vicissitudines impune sustineret. Hominum indoles, ut nemo alius, perspiciebat, conciliabat gratiam: quem tamen ne putes, urbanorum more, obsequium, quod inficiaretur contemtor animus, ore professum esse, sed potius officiosæ benevolentiæ neque parcum neque prodigum, opes, quibus devinciuntur homines, caute dispensando auxisse. Mens ejus, si tardiores, perfectos certe edebat fructus: consilia ut serius provenissent, constanter tamen et sine vacillatione peragebantur. Propositum, cui semel primas detulisset, nulla vis oppugnantium frangere, nullæ vices labefactare poterant, quippe quas omnes animo jamdudum præcepisset. Quantum super terrores et gaudia elata erat mens ejus, tantum timori erat subjecta: præveniebat vero timor ille periculum, adeo ut qui in tranquillo trepidavisset, in trepidatione ceterorum maneret tranquillus.—J. CONINGTON.

XXVI. (Sheridan, *Speech in reply to Lord Mornington.*)

Num aperte rem tractabit, et hoc unum interroganti mihi plane respondebit? Si neque Britanniæ neque sociæ ejus Bataviæ Galli bellum intulissent, num nos superioris anni dimicationem otiose spectaturi eramus, et permissâ Austriæ, Borussiæ, sociisque, si quos ipsæ habituræ essent, decertatione belli, vacuo ipsi animo strepitum procul auscultaturi? Hæc si dicat, videte quantas in angustias sese et suos et civitatem compellat. Nempe inter hoc et alia quotquot gesserunt homines unquam bella, plurimum interesse dicitur: hoc bellum, si Diis placet, neque iisdem quibus cetera de causis susceptum est, neque simili consilio gestum. Hoc est ejusmodi bellum, in quo gentium singularum commoda majoribus universi generis utilitatibus obruantur; in quo propria cujusque offensio communi omnium injuriâ obscuretur; in quo cuncta omnium bona, mores, religio, in discrimine versentur, et omnis hominum inter ipsos societas ac vitæ disciplina defendenda sit. Num ergo dicet iste sese vel potius ipsam Britanniam in mercaturæ luxu tanquam in molli quodam lectulo recumbentem, tam grande certamen sine omni curâ fuisse spectaturam, et passuram legum, disciplinæ, morum, religionis, ipsius, mehercle! Dei causam aut omni carere præsidio, aut barbaris Germaniæ Hungariæque mercenariis salutem acceptam referre, nisi propriâ quâdam injuriâ Gallia ipsam affecisset, et ad hanc universam ac pæne divinam tutelam suscipiendam parum decoro privatæ offensionis incitamento provocasset?—E. Hamilton Gifford.

XXVII. (Robertson, *Charles V.*)

Ut primum pervulgatum est, hæc oppida quorum alterum intra tridui a Lutetiâ Parisiorum abest, in hostium manibus esse, urbs illa magna, inermis, et quo major eo subitis terroribus magis obnoxia, ingenti metu perculsa est. Cives, tanquam Imperator jam portis instaret, turbatis animis, abjectâ spe, diffugere, plures conjuges suas liberosque secundum flumen Sequanam ad Rotomagum, alii Genabum et ad oppida quæ in Ligeri sita sunt, dimittere. Ipse rex Franciscus nullâ ante re tam commotus, simul quantum gaudium e triumphatâ urbe hostis concepturus esset, simul quanto in discrimine regnum suum versaretur secum

reputans, novo dolore stupefactus, hanc rupisse vocem fertur, 'Quantum, O Dii Immortales, pretium pro hâc coronâ fero, quam gratuito a vobis concessam mihi effinxi!' Inde ex hâc repentinâ impotentis et petulantis animi perturbatione in sese rediens, extemplo addidit, 'Fiat tamen voluntas vestra,' simulque ea quæ ad hostes opponendos necessaria essent, acriter et prompto ut solebat consilio facienda curavit.—J. Y. Sargent.

XXVIII. (Prescott's *Peru.*)

Interim pugna, sive ea cædes potius vocanda, circa regem acriter furebat: adeo in hunc unum ab omnibus incursatum est. Tum fidissima nobilitas conferto agmine aggredientibus sese objicere, hostes ex equis detrahendo, aut sua saltem infestis venientibus pectora opponendo, operam dare ut dilectum domini caput tuerentur. Auctores habeo tela eos sub vestimentis occulta gessisse. Quæ res licet ita fuerit, parum tamen profecit; usos enim esse neque quisquam profitetur. Scilicet ignavissimum quodque animal postquam in ultimum discrimen ventum est, sese defendere solet. Qui, quum in re simili armis se tutari nollent, eosdem neque potuisse satis edocet. Illi tamen haud aliter quam cœptum erat, equites propulsare, equos moribundi manibus amplecti: et quoties quisque occubuerat, alter alterius in locum mirâ fide succedere. Ipse Indus strepitu ac pavore perculsus circa se undique prosterni amicos miratur, vix quid rei sit satis sciens. Sella in quâ vectus est vario turbæ fluctuantis impulsu huc illuc vibrari: stupet ipse imminentem perniciem: velut in mari deprehensus navita vi tempestatis quassatâ nave, stupet intueri fulgores igneos, audire tonantem Jovem, simul opum sibi nihil alicunde suppetere, quibus fortunam avertere possit. Hispani demum ipsâ clade defessi, inumbrante jam vesperâ, quam metuerent ne conservato rege et prædam et operam perdituri essent, pauci ex equitibus totis viribus incursione factâ connituntur ut Atahualpam interficiant, remque ad finem perducant.—J. Y. Sargent.

XXIX. (Holden, *Fol. Cent.*)

Dum hæc geruntur, Turcæ, qui editioribus quibusdam jugis e conspectu tecti eos a latere secuti erant, per exploratores com-

periunt, duas Christiani exercitus partes tam longe inter se dijunctas esse ut altera alteri opem ferre non posset. Quo audito, ad occupandum montis cacumen ubi Francorum primum agmen consistere jussum erat, quam celerrime contendunt. Inde acie instructâ, hostium agmen novissimum usque eo progredi sinunt, quoad hastatos principesque summum collem pæne assecutos, ceteros cavis altisque viis quæ medium præpediunt collem, implicitos vident. Quos quum adeo in mortis necessitatem illexissent, primo sagittis deinde cominus gladiis e repentino adorti, quam maxime turbant. Quippe qui nullum hostem adesse suspicati, sed milites, quos capiti imminentes viderent, suorum novissimum agmen esse credentes, satis incomposite incederent: multi etiam, ut pondere se armorum levarent, in plaustris quæ sarcinas veherent, ea deposuissent. Omnia simul undique Turcas adjuvare, Francorum virtutem irritam reddere: angustiæ itinerum in quibus ordines explicare non poterant: ascensus iniquitas, quæ equitatum gravis armaturæ inutilem reddebat, impedimenta quæ in medio posita novissimis obstabant, quominus iis qui primi erant auxilio subvenirent: simul paucitas hominum pro hostium multitudine, ita ut vix septem millia e plus quam triginta millibus effugerint. Reliqui aut cæsi aut capti.—J. Y. SARGENT.

XXX. (LABAUME.)

Primo hostium adspectu ii qui nondum flumen trajecerant, cum Sarmatis commixti, effusi in fugam, pontem petunt. Tormenta, impedimenta, eques, peditatus, omnes eodem insistere, certatim præripere salutem. Ac jam viribus ac valetudine infirmi, et festinantibus moram afferentes, aut a validioribus in fluvium detrusi, aut pedibus negligentium conculcati. Plurimi sub rotis tormentorum obruti atque oppressi. Alii quibus spes nando effugere, aut medio amne capti gelu, aut fragmentis glacie se quum crederent, his subsidentibus, fluctibus hausti perierunt. Multa insuper millia capitum, jam omni spe dejecti, ipsi sese in Beresinam præcipites dando, necem sibi inter undas conscivere.

Girardi cohors, si quid usquam progredientes remoraturum esset, iter sibi ferro aperuit; et transcendentes illam cadaverum struem quæ viam obsidebat, in alteram ripam trajecti sunt. Quo Russi non multo post insecuturi erant, ni statim cremare pontem

contenderent. Tum vero qui jam in ulteriore fluminis ripâ supererant, infausta manus, totis animis decidere, deque summâ desperare. Pars quidem per pontem vel flammis involutum transire conati: sed medio jam cursu præclusi, sese dejicere coacti sunt, nece necem sæviorem, acerbiorem vitaturi. Ita tandem Russis victoriâ potitis, nostri ex acie decedunt: mox turba resedit, subiit lugubre silentium.—J. Y. SARGENT.

XXXI. (MONTFLEURY.)

Quam vellem numquam inventa esset tragœdia, quæ si nulla esset, potuissem ego fortasse etiam nunc in scenam prodire; et, ut non mihi contigisset gloria graves personas sustinendi, suaviter certe nugatus essem et bilem meam risu purgâssem. Quod contra, pulmonem frustra labefactavi, dum violentos motus ζηλοτυπίας, amoris, ambitionis imitarer. Ne Fuscus quidem ille tot affectus aut pinxit unquam aut animo cogitavit quot ego sæpissime invitâ Minervâ exprimere coactus sum. Oportebat sæpe torvis luminibus minas jaculari; sæpe orbes oculorum furiali ritu ad instar insani circumagere; terrere alios ore horribilem in modum distorto; ruborem iræ vel odii vultui indere; vicissim metu et admiratione pallere; jam furoris impetum, jam spem abjectam claris indiciis significare; fanaticos edere ululatus: omnes denique partes corporis defatigare, omnes nervos tendere, quo aptiores fierent gestus ad tot affectus tamque diversos. Si quis igitur scire cupiet quo morbo perierim, ne quærat febrisne me abstulerit, an aqua intercus, an podagra: sciat me Andromacham abstulisse.

E. PALMER.

XXXII. (HOLDEN, *Fol. Cent.*)

Puderet me, judices, hoc præsertim tempore lenocinium aliquod aut verborum illecebras orationi meæ adhibere. Quod genus neque ordini nostro, neque huic caussæ, neque meo ingenio convenire arbitror. Nempe hæc oratoria pigmenta, quid sæpissime velint, judices, haud ignoramus. Etenim scimus ea ad voluntatem subselliorum captandam, animosque judicum conciliandos non erga caussam sed erga hominem comparari. Scimus id agi, ut per illa judici conscientia oppressa taceat, et off-

violatum æquo animo ferat: eo demum omnes perduci, ut hilaritate quâdam pleni discedant, quasi mera verborum controversia aut rixa nescio quæ inter pocula componenda sit; et tamen interea gentes nationesque oppressæ auras inanes luctu et querimoniis plangere, iratosque Deos votis inultis et imprecationibus lacessere.—J. Y. SARGENT.

PART IV.

EXERCISE I. (CLARENDON.)

ETSI hos legentibus Annales adparebit proculdubio, Dei ultoris numine sic infatuatam esse gentem, adultam quippe et excidio jam maturam, ut omnia vecordiâ delirantes agerent, ut simplices operam impenderent perditorum hominum consiliis in flagitia se vel ultra propositum conscio scelere ingurgitantium; ut ab excordibus prudentes deciperentur, insontes autem in ipso cardine periculi somno se ac socordiæ dederent; ut mali etiam diversis quamvis consiliis, propositis, adpetitubus, stabili tamen et constanti nequitiæ societate jungerentur; distraherentur vero ambitione et factionibus simili mente similiumque consiliorum cives, unde plus detrimenti quam ex alterorum perduellione respublica acciperet: plebes interim, obtentui quamvis essent religiones, jura, libertas, comitia—optima quidem suo sensu nomina—adeo tamen in omnes impietates rueret, ut plurimi Christianæ fidei rudimenta dissolverent, pactiones, fœdera confunderent, libertatem, leges, comitiorumque jure injuriâ habendorum spem everterent; Dei igitur nutu et irato numine etsi confitendum est hos rerum laqueos inexplicabiles, has calamitates, contigisse, tamen rerum temporumque iniquitates, hominum libidines, adrogantiam, vecordiam, extemplo adultam nequitiam utpote remisso animi moderamine, siquis adcuratius animadvertat, omnes has reperiet miserias, naturalibus fere modis, causisque eisdem ortas in nos ingruisse, quæ imperium fastu luxuque jam diu tumidum in diras ac supplicia præceps agunt.

G. F. DE TEISSIER.

II. (HARRIS.)

Titus erat Pomponius usu ac literis cum Cicerone conjunctus. Is, quum Athenarum urbis regionisque amantissimus esset

earum artes sermonemque longâ consuetudine ita excoluit, ut cognomen sibi Attici adscisceret. Incidit summi viri vita trucibus et seditiosis temporibus; utpote qui Syllanas adolescens Marianasque partes; juvenis cruenta, quæ insecuta sunt, tempora; senex Octavianas et Antonianas proscriptiones viderit. Marco Tullio aliisque quam plurimis optimis viris neci traditis, verumtamen hunc fortuna ex tot periculis incolumem præstitit. Nec soli quidem sibi salutem comparavit: ducibus enim factionum ita pietas eum utrimque commendavit, ut posset tum suæ, tum plurium amicorum, vitæ consulere. Cujus quidem humanitas ea fuit, ut minime putandus sit voluptatis studio Athenis degisse; sed philosophiæ potius caussâ in eâ urbe consedisse, ut veras vivendi rationes, non inanem gloriam, assequeretur.

G. F. de Teissier.

III. (Harris.)

Loca sunt convallia, utroque ab latere, quum ingressus fueris, vastis rupibus obsessa: quarum dorso ad dimidiam circuli formam finis altera interclusa est; unde 'vallis clausa' nomen inditum. Huic dorso immanissima rupes a fronte eminet, cujus ad radices vastæ patet os speluncæ. Hujus autem speluncæ in secessu reducto et tenebricoso gremium fontis est in O literam circumactum; naturæ opus, limpidissimâ aquâ, altitudine infinitâ: ex quo fonte satis longum flumen se diffundit, cursuque dividit pratorum infera, aut præruptas, quæ superimpendent, rupes intermeat. Tenuis hæc illius loci adumbratio est, ubi Petrarchus animum ita fovere et vitam potuit, ut tantum hoc vivere esse diceret, reliqua omnia supplicii numero haberet.

G. F. de Teissier.

IV. (*Laconice.*)

Sæpenumero admiratus sum graves illos apud cultissimas elegantissimasque hominum gentes obiter convenientium sermones circulorumque colloquia. Magno enim imprimis laborant opere alter alterius valetudinem percunctari, 'Mi anime, quomodo tecum? Amabo, ut vales? habesne, ut spero, belle?' Papæ! quid ista volunt absurda, et præpostera? Num sollicitat eos

amicorum familiariumque valetudo, vel res domestica? Minime vero! qui, si possent, alter alterum in malam crucem darent. Juvatne contristari memorantes mutuo caduci corporis dolores, morbos, infirmitatem? Placetne lætitiam confutare Orcum in mentem Manesque inamabiles revocando? Mox de cælo et tempestate anni, de ventorum flatu lunæque mutationibus serio ac gravissime adgrediuntur disputare. 'Næ valde hoc arridet mane,' dicit aliquis. 'Per quidem gratus hesternus imber; secutusque pluviam sol fervidissimus terræ fœtus citius educet.' Fuerit æstas, continuo audiemus, 'Ardet Julius, æstuo, ita Dii me ament, totus æstuo: sudant Tartara.' Libet obiter animadvertere gratiosos istos supera inferis nullo discrimine miscere; neque cur id faciant habeo dicere præterquam leporis causâ.

Equidem, mi Pater, Latine, si quis alius, loquor. Nondum tamen reperi quando superos quando infernos in sermonibus nostris contestari deceat; fateorque me nonnunquam adductum ut crederem istis oratiunculis nullo cum his actum esse discrimine. Verbi gratiâ, 'Dii boni, quantum pluit! vere Stygia tempestas!' quantum, quæso, abest hoc ab illo? Si duo in vico conveniunt amici, Decembri mense vel Januario, post solitas interrogationes et responsa de suâ suorumque valetudine, post tussim excitatam pluresque de frigore querimonias, post longas de febre malâ misereque conceptâ ambages: comploratis jam capitis doloribus, debili et dissoluto et languente stomacho, lumborum infirmitate, tibiæ ulceribus, tetano cervicis, coxendicis dolore et mille hujusmodi, plura sic referunt, 'Friget cælum hodie.' 'Friget vero.' 'Malum, ut flat!' 'Flatu certe flat vehementi violentus ventus.' 'Jacet nix alta.' 'Alta jacet: multæ nives; pura puta, meâ quidem sententiâ, hyems hæc est.' Papæ! quid tandem volunt, siquid volunt, istæ narratiunculæ utrisque necessario pariter cognitæ?—G. F. DE TEISSIER.

V. (FELTHAM.)

Cyathum vini quum posceret Platonem Diogenes, congium accepit. Quem ut primum convenit, 'Rogabam te,' inquit, 'duo duo quota fierent? Tu vero respondisti, Viginti.' Inest certe quibusdam hominibus adeo benigna indoles ut arborum ritu maturis jam fructibus sensim sua omnia deperdant: amic

quippe postulationes et dandi modum, tanquam deorum opibus, excedunt. Neque id spectant, quid mereantur alii, quidve ipsi possint: sed beneficentiâ potius se ipsos oblectare volunt. Laxa hujusmodi indole regem Alexandrum primas partes tenuisse reperio: qui bella ita gesserit ut omnia concupiscere videretur: largitus tantum sit ut omnia pro nihilo haberet. Non suâ sed amicorum caussâ vicisse eum putes: cepisse autem ut esset unde donaret: ut tantæ dandi capiendique libidini vix ipse terrarum orbis satisfaceret. Oranti quippe Perillo dotem filiabus suis, quinquaginta statim talenta dari jussit. Ille autem—quâ erat modestiâ—decem satis esse ait, cui rex respondit, satis ei fortasse qui acciperet, parum vero sibi qui daret.

G. F. DE TEISSIER.

VI. (GRAY.)

Et insperantem offendit tuus iste nuntius, et multum doleo mortuam mihi eam esse, quam ipse semper dilexi, quâque familiarissime a puero sum usus. Magis tamen tuus me movet dolor; qui qualis sit, quum ipsa nimium perspicias, nolo equidem persequi, præsertim quum magis jam consolationem te eam desiderare intelligam, quam ille unus possit afferre, qui tibi per tot annos servatam, ad se, quum ita statuisset, revocavit. Id ipsum vero, quod mortua est, si reputaris quantum angoris viva pertulerit, benignitatis exemplum quum in eam, tum in amicos, forsitan videatur. Neque enim per multos annos intabescentem conspeximus, aucto indies dolore ut ne movere quidem ipsa se posset; nec finem miseriarum optantem quem assequi non liceret: neque amisso omni sensu ita tamen respirantem ut spectaculo iis foret qui gravius quam ipsa tantam calamitatem essent laturi. Quamobrem licet ereptam desideres, molestiâ certe liberam ac felicem habeto, scitoque minus nos ejus quam eam nostri misereri oportere. Ita autem spero itaque a te peto, ut eam in dolore sustinendo patientiam adhibeas, quam huic optimo Deo debemus, qui, ut nobis consulat, vitam dat, idem adimit. Me scito voluisse statim ad te venire; impeditum tamen, quod, cuperes necne, adhuc nescirem. Si ita volueris, rescribas velim, neque enim est quod me impediat, et bonâ valetudine utor.—ROBINSON ELLIS.

VII. (HOLDEN.)

Non minus me dolore tuo commovit benevolentia, quæ, quum

doleres ipse, impulerit tamen, ut ad me scriberes; quorum ego utinam alterum minuere possem, alteram solatio compensare, quo inter gravissimos dolores semper in me es usus. Sed quum eum deploras qui amore fuerit dignissimus, tum recentius doles quam ut consolari te mihi sit annitendum. Quanquam quale est ista hominum inter se consolatio? Potestne e memoriâ omnia tollere quæ cariorem aliquem vel suavius dixisse vel fecisse amabilius reminiscaris? An est tanti ut doceat quascunque spes animo conceperis, quæcunque tibi lætiora aliquando fore statueris, idcirco tantum vana et inania fuisse, quod sublata fuerint? Vereor ne homunculis nobis unum illud solatium contingat, ut reputemus, modo reputandi spatium affuerit, alios pejora passos, nobismet eadem ita evenire potuisse ut gravius fortunam essemus dolituri.—ROBINSON ELLIS.

VIII. (*Spectator.*)

Eques noster spectabilis, monitus quippe annis vulpeculas dimittere, venumdatis catulis venaticis, ne omnino cesset, canes quosdam emit qui lepores odorando* sectantur: quibus, quantum deest velocitatis, tantum curavit accedat oris gravitate et vocum distinctione, quæ ita inter se conveniunt ut clamor universorum concentum reddat æquabilem. Quod profecto tam eleganter factum est ut canem venaticum nuper dono missum, per servum qui obtulerat, humanissime remiserit: renuntiaret domino 'Optime eum fecisse, modo ipse gravi careret voce, sibi vero id temporis gutture opus esse aliquantum acutiori.' Equidem si Shakespearium nostrum legisse eum arbitrari possem, ex Theseo illo hoc duxisse crederem, ubi inter 'noctes,' quas vocant, 'æstivas et somnia' ait,

Spartana soboles catuli nostri: tanto hiant
Rictu, distincti maculis: capita pendulis
Rorantia arva verrunt auribus: boves
Palearibus curvoque referunt Thessalos
Genu: sequendo lenti: voce consonâ
Concordes nobile mutuo adstrepunt melos,
Hortatu nostro murmurique cornuum.

Hoc quidem lusu ita se oblectat eques noster, ut quotidianus fere,

* Stop-hounds apparently = harriers, who hunt by scent, not by sound.

ex quo devenerim, exierit. Ipse autem quum familiaris a sacris mulum mihi mutuum commodâsset, induxi tandem animum ceteris me comitem addere: interque equitandum, non sine plurimâ voluptate viciniam omnem animadverti quo studio hospitem nostrum prosequeretur. Erat enim gaudio filiis colonorum claustra seni optimo prætereunti recludere: quod ille nutu capitis—multa de patrum vel avunculorum salute percunctatus—vel risu repensum volebat.—G. F. DE TEISSIER.

IX. (*Chancellor's Medal*, 1816.)

Cum Chremylo, et seni et probo viro eidemque pauperrimo, aliquid filio divitiarum relinquendum esse videretur, de eo quod faciendum sit mittit ad Apollinem. Quo cum pervenisset, monitus est ab oraculo ut, quem primum perspiceret egressus e templis, eum sequeretur. Senem autem, quem vidisse contigit, cæcum et adspectu sordidum postquam huc et illuc consectatus esset, tum ille Plutum se esse demum agnovit, numen divitiarum, ex avari domo nuperrime egressum. Narravit insuper Chremylo Plutus solitum esse se puerum declarare, ut primum ex adolescentibus egressus fuerit, nemini se nisi viris et probis et honestis opes daturum fore: quo quidem decreto a Jove audito, postquam id, quam plenum esset malis, intellexisset, visu ei statim adempto, cæcum et tanquam a Chremylo conspectum, per omnes regiones vagaturum dimisit. Cui cum id ægre persuasisset Chremylus, ut domum suam secum iret, ibi vetulæ cuidam in pannata veste occurrit, cui nomen erat 'Paupertas,' quæ multos annos apud eum hospitium invenerat. Cum autem non ita prompte, ac voluit, ex ædibus Chremyli discederet anus, tum illi exilium minatus est, neque id modo de suâ domo, sed totâ etiam e Græciâ, nisi iter lubenter et confestim susciperet.—MARMADUKE LAWSON.

X. (HOLDEN.)

Moriebantur in domibus feminæ et infantes, per vias senes, corpora plerumque inhumata, cognatis præ infirmitate mæsta aversantibus, aut in proprio periculo communia negligentibus. Fuere qui in humando interirent: alii inter sepulcra ipsi se vix componebant. Nusquam luctus plangorve: nullæ ad gemendum

vires: sedebant siccis oculis amarum ridentes: invidebant jam mortuis paullo validiores. Multos accepimus templum intuentes exspirasse. Vastum tota urbe silentium, irrumpentibus tamen domos militibus prædæ caussâ et velamina mortuorum detrahentibus fœdo ludibrio, aut aciem telorum vel in cadavere experientibus. Corpora metu fœtoris primo sumptu ærarii sepeliri jusserunt: mox frequentiora de muris in valles dejici.

JOHN CONINGTON.

XI. (HOLDEN.)

Certiorem te nuper feci me ad Regem retulisse te accepisse, sicut ad me scripsisses, librum quem ipse pro regiâ benignitate tibi misisset. Spero alterum etiam post perpaucos menses in manus tuas venturum, qui res usque ad Mariam interfectam gestas contineat. Quod et rex te scire voluit, et Lucceius ipse, historiæ scriptor, affirmavit eam operis partem pæne ad umbilicum adductam esse. Cum vero acceperis omnia quæ ab Angliâ exspectari possunt, tui jam erit ita rem tractare ut neque veritatis jacturam facias et tamen ostendas te tanti regis aliquantum studiosiorem fuisse. Ipse mihi semel atque iterum affirmavit se non passurum esse ut quidquam tibi hinc mitteretur cujus fidem non ex omni parte satis exploratam habuisset. Teneo quidem quæ nuper familiariter scribebas, neque dubito tibi plus æquo negotii fore ut pietati filii satisfacias. Facile autem, quo es judicio, invenies, quod aiunt, ἐκ τῶν ἀπόρων πόρον.

JOHN CONINGTON.

XII. (HOLDEN.)

Indignum sane, me, quia epistolæ meæ non sunt perlatæ, idcirco carere tuis, quæ nunquam non perferuntur. Jam totum mensem abs te nihil novi. De honoribus quidem titulisque tuis non silet fama, ut libenter credam te jam στρατηγὸν factum esse et nos paganos fastidire. Ego quoque tibi amicitiam renuntiabo, si quando ad Tigranocertam opprimendam vel ad occupandum Phraatis regnum missus eris. Sane tibi laureatas epistolas mittere non possum, qui neque exercitibus neque regibus tetrarchisque interfuerim: sed neque vicissim eas desidero. Eæ

demum mihi placent litteræ quæ te validum lætumque nunciant. Vellem equidem te aratro redditum. Rus tuum Sabinum florentissimum est. Bis ibi inter proximum nundinum pernoctavi dum Pompeium nostrum prope Tiburtem viso et inde domum redeo: quo itinere tantum sum delectatus quantum tu tuo. Si non arces nuper munitas, videbam saltem veteres ac ruinosas. Quid superest? Nihil sane. Me uno excepto omnes comitiorum satagitant. Pompeio Tiburtinos prensante meam ipsius sapientiam mirabar, juxta illud *Suave mari magno.* Sapientiam quidem nunquam professus sum, idem tamen omnium sum sapientissimus: ago aliquid semper, satago nunquam, in nugis strenuus, seriorum securus. Sapientem esse negas? at certe contentum dices. Me tantum juvat nucibus ludere quantum quemvis regulorum cum quibus nuper versatus es aquilis invehi; desiderabam tamen te Esquiliis non sine dolore, et contristabar quod in aulâ esses. Vale. Nuntiatum est ab Alexandriâ inter Tisiphonem et Parthos pacem factam esse. Itane vero?—J. CONINGTON.

XIII. (HOLDEN.)

Equidem, rex, haud scio an nunquam mihi pro tuâ bonitate tantum prodesse possis quantum hodie nocuisti. Nam comitum tuorum, virorum summâ fide, nemo est quin miserrime cruciatus sit, metuendo ne quid tibi ab isto vulnere secus eveniat: ego vero quasi in pictam aliquam terrarum descriptionem intueri visus sum, ubi pauca quædam nota, cetera incognita et præ terrore deserta. Jam si quis ultra tuam mortem prospicere velit, næ is meram caliginem et infinitas miserias contemplabitur. Quod si tuâ ipsius caussâ intelligere nequis, nostrorum saltem caussâ velim ediscas. Grates sane agimus Deo O. M. qui nobis hoc tempore regem in bello strenuum dederit, cum hanc nostram rempublicam sustinere non posset princeps qui tantum negotiis attentus umbratilem quandam vitam coleret. Iidem tamen optamus ut si solitum regis morem excedas, intra modum magni imperatoris te contineas, ut qui hos triginta annos Alexander fueris, tandem Augustus esse velis. Nobis quidem vera est gloria pro te mori: illud vero insuper affirmare ausim, tibi quoque officii ducendum esse quâ es clementiâ, ut pro nobis vivas et valeas.

JOHN CONINGTON.

XIV. (ROBERTSON.)

Simul pax firmata et discessum est a Gallis de Caledoniâ, perinde ipsis volentibus ac civibus. Caledoniis enim brevi patuit, non sine suo periculo gentem potentiorem appellitasse se in auxilium: 'id prorsus intolerabile qui ad tuendum regnum advecti essent, eosdem jam ipsum imperium affectare: esse quod pœniteat tam temere se adscivisse.'

Auxit invidiam Gallis propria indoles, ut Caledonii jugum vixdum experti exuere paratos sese ostentarent. Galli enim sicut hodie ita id ætatis inter excultissimos per Europam populos existimati. Quanquam id notandum videtur, quotiescunque militando peregrinati fuerint, sive septentrionem seu meridiem versus, ipsorum mores ab alienis immane quantum abhorruisse. Nam ut barbari sua instituta tenacissime amplectuntur, quibus neque peritia ad dijudicandum quam congruæ ac consentaneæ rationi sint aliorum consuetudines, neque judicii elegantia sufficiat, ita quibus in humanitate primæ deferuntur, pari modo se gerunt propter superbiam. Cujus quidem rei, uti apud veteres Græci, ita hodie Galli documentum præbent. Toti enim in se conversi, alienâ sui imitatione oblectati, suaque ipsorum instituta quasi normam quandam elegantiæ soliti proponere: suos mores dissimulare aut exuere, sive in externis aliquid proprium condonare, prorsus dedignantur.—R. SHILLETO.

XV. (HOLDEN.)

Animi autem dum siti sunt in hoc loco humili et proxime a bestiarum vitâ remoto, gravitatem quandam sustineant, et per crassam quasi circumfusi aeris caliginem intueantur necesse est, concretam e judiciis indies prave factis, et opinionibus temere conceptis, et consuetudine inveteratâ quæ ipsis et opinionibus et judiciis diu antecesserit. Quâ quidem obtentâ caligine vel acerrimus oculorum sensus dispicere nequit. Quodsi insolitâ quâdam vi mens hanc regionem nebulosam superaverit, et scintillam quasi luminis purioris arripuerit, celeriter tamen retracta pondere illius corporis cui naturâ conjuncta est, depressa subsidit. At si forte inter turbidas animi cogitationes et cupiditatum procellam, aliquando in sublimius subvolârit, quam citissime in hanc tenebrosam

et umbratilem regionem rursus delabitur. Attamen quum mentem sæpe agendo et experiendo sibi robur comparare cernamus, haudquaquam desperandum est, immo opera quam strenuissime navanda, ut identidem reponendo vires, inque altius nitendo, paullatim in sublimiorem locum contendamus, et naturæ imbecillitati et cæcitati remedium afferamus, vitæque illius in veri contemplatione versatæ partem gustare possimus.—J. Y. SARGENT.

XVI. (HUME, *Charles I.*)

Ut quam amicissime de eo judicemus, gravitatem viri superbiâ caruisse, infirmitate humanitatem dicemus; ut fortem nec tamen temerarium, ut sine severitate temperatum, sine avaritiâ attentum laudabimus; ut denique virtutes suas omnes justis finibus cohibentem, ideoque majorem laudem commeritum. Contra acerbissime judicanti, cum bonâ plerumque indole nonnihil occultæ infirmitatis conjunctum fuisse videbitur, quod visu quantumvis parvum, adjuvante Fortunæ malignitate, impedimento fuerit, ne quod boni haberet, in rebus gerendis valeret. Neque enim benevolentiam animi habitu satis comi commendabat; neque pietatis laudem meruit, nullâ superstitionis suspicione additâ. Qui ipse de rebus optime judicare potuit, sententiis idem longe deterioribus obsequebatur; et in affectu animi plerumque modesto, subitis et immaturis consiliis locus non defuit. Is denique erat quem bonum potius quam magnum habeamus; qui nec satis habilis ad concedendum, nec satis ad vim inferendam acer, res ordinatas continere potius quam tumentes coercere posset. Qui, imperium modo integrum et nemini obnoxium sortitus esset, eâ humanitate, eâ prudentiâ fuit, quæ in felicitatem regnantis, in memoriam defuncti vertissent; pro integritate idem, si potestatem regiam certis finibus descriptam accepisset, terminos sibi præscriptos summâ fide servaturus. Infortunio autem in eam tempestatem incidit, quum priorum exempla regnorum ex imperio, populus autem in libertatem propensus erat. Qui si ex iis rerum angustiis, consilii culpâ, minus feliciter evaserit, excusationem habet: quoniam ne nunc quidem liquet, in re præteritâ, cujus facillima solet esse censura, quâ ratione, in illâ fortunâ, et auctoritati regiæ et concordiæ populi satisfacturus fuisset. Nempe factionibus furiosis, implacabilibus, obstinatis, exutus vectigalibus,

exutus armis, objectus, eâ conditione contendebat, cui nescio an nemo mortalium responsurus fuisset, ut leviter erraret, perniciose plecteretur.—WHARTON MARRIOTT.

XVII. (LORD MACAULAY, *Hist. of England.*)

Carolo igitur, ut hac disciplinâ informato, videbantur inesse cultus quidem civilis, gestus habitusque admodum comis et urbanus, haud insulsus sermo, indoles quam maxime in libidinem prona; ipse cessator et nugarum amans, patientiæ et labori impar, neque amori neque virtuti humanæ fidem habendam putabat; famæ in utrumque securus. Scilicet qui non pretio esset venalis, negabat esse quemquam: alium quidem plus alio in summâ mercedis suæ esse multum; quæ licitatio quum admodum acriter et callidè sit gesta, specioso aliquo nomine exornari. In quo genere, quæ maxime valeret inter viros sapientes caritatis augendæ ars, huic esse integritati inditum nomen. Formosas autem mulieres, per verecundiæ præcipue præstigias, pretium formæ suæ addere. Ceterum tum Dei patriæque amorem, tum pietatem in suos amicosque, hæc omnia simile aliquod sapere, ut quæ vocabulo per ambages egregie commodeque significarent amorem sui. Qui quum de aliis hominibus ita existimaret, haud mirum si suam apud alios existimationem, quæ aut quanta esset, nihil penderet. Et hujus tantum referebant honestas et pudor, quantum oculis capto valeant lumen et caligo. Laudi datum apud nonnullos video, quod assentatorum sit contemptor, quam rem si a totius vitæ ratione contempleris, prorsus eum indignum laude invenies. Nempe licet assentatione et melior sis et pejor. Qui nemini credat, nec parasito credet. Nec qui veram contempserit gloriam, iste fictam ejus speciem inhiabit.—J. Y. SARGENT.

XVIII. (BURKE.)

Volo etiam illi viro, quod et debeo, qui ei præfuit rogationi, jam merita imputare sua. Qui neque, quod injuriâ exprobrant, per dolos et cum fortitudine industriâque egerit. Illius nos exemplo universi excitati sumus: mihimet ipsi novissimo tironi addita virtus. Ego vero confiteor satis tum innotuisse mihi, neque enim quemquam celari poterat, rerum summa quomodo

haberet; tamen alias elatiore unquam me animo in hæc comitia prodiisse prorsus nego. Nempe id viris agendi tempus adesse visum. Erant inimici validissimi, erant fideles et acerrimi amici: erat caussæ decor. Maxima tum nobis pugna committenda: sed non iisdem deerant pugnandi facultates: neque, sicut nunc, manibus revinctis agenda res erat. Et pugnavimus illo die et vicimus. Non sine tristi quâdam delectatione, Patres, recordor, quanto tum in discrimine versaretur, qui auctor fiebat legis abrogandæ vir optimus et spectatissimus, quum tanta hominum vis, tota denique res mercatoria, in aream istam conferta, usque ad brumalem alterius lucis ortum spe et pectore trepidi, fortunas suas vestra suffragia expectare sustinebant. Postquam autem ex horum sententiâ decretum est, et patefactæ fores inhiantibus speciem ostendebant ducis sui, dignum dignâ ex victoriâ triumphum reportantis, tum enimvero ex totâ simul multitudine una gratulantium et supplicantium est coorta vox. Tum sicut liberi parentem suum diu optatum, urbis patrem circumsilire plebes; tum captivorum modo, vindicis sui genua amplexari. Tota Britannia, tota Atlantis, plausum sustulere. Ille autem eximium inter palmas humanas præmium, amorem et affectum suorum, non aspernari. Spe gaudioque elato surgebant cristæ; os nitebat: astabam enim; illique, sicut de illo traditur, qui primus se pro religione devovit Stephanus, vultus major humano Deum referebat.—J. Y. Sargent.

XIX. (Scott, *Antiquary*.)

Erat profecto fœdissima tempestas. Nam procellæ strepitus et marinarum avium clamor quasi næniam dicebant de tribus illis perituris, qui ancipiti objice clausi,—ut pulcherrimo ita formidolosissimo rerum—æstuoso scilicet gurgite et inexpugnabili rupe—decumani cujusque fluctus, altius solito se litore erigentis, spumis identidem allisi, per iter enitebantur difficile ac lubricum. Sensim continuo ingruebat infestum mare! Spem tamen ultimam ægre relinquentes, in nigram rupem quam mendicus ostenderat, aciem intendebant. Eminebat illa quidem spumantes inter fluctus, donec ad flexum quemdam periculosi tramitis pervenerant, ubi interposito scopulo abscondita est. Tum demum destituti specula, quâ confisi erant, luctu ancipiti, consternati ac pendentes

animi, cruciabantur. Porro tamen enitebantur; at vero, quum eo usque progressi essent, unde conspicienda fuisset ea rupes, ex oculis jam omnino recesserat. Inter mille albescentes fluctus evanuerat salutis indicium, qui ultimo promontorio illisi, nigram præcipitis frontem spumis ingentibus, nivis ritu, mali navis longæ instar altitudinis, verberabant.—W.

XX.

Oratio autem, sicut alia omnia, colendo provehitur, e cultu in vitium desciscit. Neque dispari sane fortunâ Anglicus sermo atque ceteri usus esse videatur. Priscum illud ac tenue dicendi genus barbaris adhuc nostris usitatum prorsus ignoramus: ejus autem ætatis quum primum ad religionem ususque civiles accommodari cœpit, exemplaria sunt, rudia quidem illa, ut fit, simpliciaque, nexu soluta et abrupta: quippe scriptoribus, puto, nihil aliud agentibus quam ut intelligi possent, neque sæpius voluptatis laudem captantibus. Sed carmina eorum, ut quæ memoriæ præcipue inservirent, nihil fere a sermone pedestri discrepabant, nisi quod numero pedibusque distinguebantur. Et mansit perinde ea ratio patrii sermonis—saltem aliquid hinc inde variata, prout alius ab alio aut consilio aut indole differebant scriptores—usque ad Gori ætatem, quem magistrum suum Chaucerus appellat, qui idem, quamvis discipuli magister famâ obscuratus sit, tamen ideo, neque injuriâ, laudem antea negatam arrogare sibi videtur, quod primus omnium demonstrarit suis majus aliquid esse appetendum; posse denique versum in poeticam Anglicum attolli.

J. Y. SARGENT.

XXI. (HOLDEN.)

Dies erat quo inferebantur tumulo reliquiæ illius qui Protectoris nomen occupaverat. Me, quamvis neque viri memoriæ neque operosæ publicarum sollennitatum vanitatis admodum studiosum, perpulere tamen sociorum preces ut cum iis spectarem pompam illam, quæ tam cupide jamdudum fuerat expectata, ut nonnulli curiosiores, rerum exquisitarum studiosi, usque a monte apud Cornubios et ab Orcadibus insulis visendi causâ in urbem progressi essent. Intellexi multo plus in funus erogatum

esse quam pro mortui meritis, imo pro mortis ipsius dignitate. Ingens pullatorum ordo, assistentibus etiam quibusdam legatis, qui regum personas fratrem summo studio desiderantium sustinerent: feretrum splendidissimum, coronata effigies, denique, ne omnia alia commemorem quæ, utpote in regum funeribus sollemnia, hic nullo modo omitti poterant, pars haud exigua spectaculi fuit, ut fit, vasta spectantium multitudo. Sed tamen nescio quomodo tota res ita gesta est, ut vitam illius cujus caussâ fieret aliquantum referre videretur, quippe ubi plurimum strepitûs, plurimum tumultûs, plurimum impensæ, plurimum magnificentiæ, plurimum vanitatis; ut verbo dicam, omnia ad spectandum comparata, nec tamen spectabilia. Tandem (satis enim longa res mihi visa est, et, sicut ipsius principatus, qui tamen brevis fuerat, gravis ac molesta) ad finem perducta est pompa: ego domum me recepi, fessus, et quantum judicare potui ita tristis ut nemo inter lugentes.—JOHN CONINGTON.

XXII. (HOLDEN.)

Equidem Livii in historia scribenda virtutes tantum admiror quantum nemo fere alius, gravem scilicet narrationis tenorem, rem rei rapide subjungentis, neque tamen properanter aut confuse, loquendi morem semper pulchrum, semper vividum, qui efficit ut rerum gestarum non tam lectores quam spectatores esse videamur. Hic vero non cum oratore nobis agendum est, sed potius cum teste. Cujus ad partes si Livium vocamus, non nisi literatorem videmus, homunculum, ut ita dicam, a pulvere et libris, rei militaris parum peritum, geographiæ, quam vocant, incuriosum, ab expeditione denique Hannibalis remotum annorum ducentorum intervallo. Jam vero in toto ejus opere agnoscas potius ingenium pictoris, animo oblectando studentis, quam fidem judiciumque narratoris, viris perspicacioribus satisfaciendo idonei. Nempe quæ de Hannibale fabulatur Livius Deum in somnis vidente, montes ceteris inaccessos superante, rupes aceto solvente, sicut nunquam ad censuram revocat, ita ne suspecta quidem habet. Legere videmur Homerum Achillis facta enarrantem. Contra Polybium evolventibus occurrit nihil nisi simplicitas incomta et nuda veritas. Cui cum fuerit mira recte judicandi facultas, ut homini illâ ætate, illâ patriâ nato, et, quod plus etiam

mirere, ingenium satis sterile, facile adductus est ut veritatem, quam penitus cognitam habuit, præponeret ornamentis quæ fortasse eo libentius contemsit quo se iis assequendis imparem esse intellexit.—JOHN CONINGTON.

XXIII.

Hactenus se continuerat Tiberius, frugi, in honoribus mandandis justus, injustorum severus vindex, in magnâ comitum luxuriâ modicus. Inde a nono principatus anno animum suspicacem in sævitiam erumpentem notaverunt auctores. Jam cum neminem æmulum haberet quem metueret, detractâ quasi pelle ostendebat qualis revera fuisset. Dedidicerat scilicet sententiam illam verissimam, quæ etiam in proverbium venit, quod justum sit, id semper esse utile. Abierat ei in astutiam judicium, in fraudem probitas, in rationes temporibus accommodatas magna et profunda consilia. Omnia ad rempublicam pertinentia interpretanda sibi delegit: morum colorem ad libita mutavit, subtiliter et malitiose comminiscendo. Senatûs auctoritatem in dies imminuebat, ipsis patribus in servitium satis pronis, quorum obsequentium contemptor, obsequiis tamen libenter fruebatur. Lex erat id temporis quæ sub pœna capitis vetabat ne quis majestatem pop. Rom. læderet. Hujus interpres et vindex ita exstitit Tiberius ut eam adhiberet non tantum si quando res publica in discrimen adducta esset, sed quotiescunque odio et suspicioni daretur occasio. Nulla inde colloquendi libertas, nulla cognatorum fides. Tetrica illa dissimulatio qua utebatur princeps ceteros quoque invasit: amicorum sedulitas pro insidiantium blanditiis, lumina ingenii pro splendidâ quâdam imprudentiâ habita sunt; incommodabat etiam virtus, intempestivâ fortunarum amissarum memoriâ.—JOHN CONINGTON.

XXIV. (HOLDEN.)

Longe alia erat equitum sententia. Se jam duodeviginti annos per prospera et adversa a regiis partibus stetisse. Indignum eos qui victo regi affuissent victori non adesse, quasi non distarent ab istis seditiosis qui contra justum dominum pugnâssent, reges

reducendos negâssent donec constitisset res alioquin ad militum licentiam translatum iri. Istos fortasse ob nuper merita veniâ dignos, nequaquam autem debere censeri cum iis qui regis veniæ nunquam eguissent, gratiam nunquam non meruissent. Æquumne esse præsertim fortunas, quas ex perditis regiorum bonis isti conflâssent, incolumes servari? Satis profecto capita et patrimonia, pœnæ toties debita, salva præstari, ipsos cum cetero populo sub imperio clementissimo cui tam diu adversati essent impune vivere: nullo modo opus esse ut perduellionis pretium acciperent, direptis eorum bonis, quorum unum crimen fuisset regi fideliter obediisse. Regisne interesse ut spoliatis amicis inimicos ditaret? Ecquam fidem habendam esse istis qui regi repugnâssent, bellum intulissent, manus injecissent, qui etiamnum commissa defenderent, putarentque se egregium obedientiæ specimen dedisse quod tandem regem occidere noluissent? Sane nuper regibus reducendis operam dedisse, quos tamen et antea exegissent, et olim, si res ita tulisset, exacturi essent.

JOHN CONINGTON.

XXV. (HOLDEN.)

Ita trepidantibus omnium animis Flaccus in medium prodit. Vultu alacri et fidenti primarios allocutus viros docet non jam epulandi caussâ tanquam convivas advocari, sed tanquam socios patrandi facinoris quod libertatem famamque sempiternam vindicaturum sit. Simul commonefacit eos de nimiâ Doriæ majoris potentiâ, haud diutius tolerandâ, quam novis auctam viribus hinc ambitio nepotis, hinc Cæsaris favor erga gentem ipsius quam patriæ amantiorem perpetuo sancitum jure properaret. Hanc dominationem nefariam, inquit, nunc evertere, nunc urbi libertatem confirmare potestis. Adsunt consortes plurimi: qui patrocinentur, si opus fuerit, non defuturos esse confido. Id quod maxime ominatus sum, isti tam secure agunt, quam ego providenter egi. Scilicet populares suos adeo despectui habent ut suspicionem omnem metumque deposuerint, qui vulgo culpæ conscios, ut ad prospiciendam pœnam acres, ita sollertes præcavendi efficiunt. Nunc vero ante gladium sentient quam cominus rem agi suspicantur. Proinde accingamur operi, ut semel pie connisi patriam nostram in libertatem vindicemus.

J. Y. SARGENT.

XXVI.

Jam illuxerat dies, neque tamen procella quidquam de furore suo remiserat: quantâ vi potest maximâ atrox natura maris adhuc sævire cernitur. Videre erat naves in quibus tum victûs tum salutis spes totius exercitûs steterat, non jam ancoris hærentes alias inter se allidi, confractas scopulis alias, plures in litus ejectas, nonnullas etiam fluctibus hauriri. Intra unius horæ spatium XV. longæ, onerariæ CXL. cum VIII. millibus mortalium absumptæ. Navigantium qui miseri iram Neptuni ægre devitârant, ut primum attingebant terram, barbari occidione occiderunt. Stupet mærore imperator neque vocem invenit: quum uno velut ictu fortuna simul conceptam victoriæ spem frustrata esset, simul ingentem instrumentorum copiam quam ad lacessendos hostes suosque sustentandos comparaverat, omnino pessum dedisset. Tandem concidente vento, spes quantulacunque affulsit, fore ut tot naves eluctarentur quot satis essent ad famem arcendam copiasque in Europam reducendas. Sed res fefellit spem. Nam vesperascente cælo incubuit æquori caligo: neque ii gubernatores qui salvis navigiis uterentur, nuntios in terram ad suos mittere potuerunt. Ita maximâ utrimque anxietate inter dubitationem metumque pernoctatum est.—J. Y. SARGENT.

Idem aliter redditum.

Jam multo die nihil remitti de procellâ; mare, res naturâ violentissima, affatim furere: naves, solum exercitui præsidium, ruptis retinaculis, aut inter se collisas, aut in scopulis fractas, aut litori vi appulsas, aut fluctibus submersas cernebant. Deletæ minus unâ horâ naves longæ quindecim, onerariæ centum et quadraginta, virorum octo millia: quorum miserorum si qui maris rabiem effugissent, terræ adversos Arabes trucidabant. Stabat princeps tristis attonitusque, videns unâ clade spes frangi, opes sive ad hostes lacessendos, sive ad suos sustentandos collectas in alto sepeliri. Tandem cadente vento sperabatur tot naves evasuras esse quot satis forent ad exercitum, fame haud dubie periturum, in Europam transvehendum. Quæ tamen spes nondum rata est, caligante sub adventum vesperis mari: cum autem ducibus navium superstitum nulla esset consiliorum cum terrestribus conferendorum facultas, nox summâ anxietate et solicitudine transacta est.—J. CONINGTON.

XXVII. (Holden.)

Vidimus adhuc hunc populum Romanum paullatim crescere opibus, deinde unum orbis terrarum arbitrium obtinere. Vidimus eas virtutes quæ vires reipublicæ et victoriam suppeditent, pedetentim in civitatem immigrare, dum in præpotentis imperii molem coalescerent. Jam inde species longe alia subit: princeps quippe terrarum populus ad se trahit quæcunque vitia discidium, servitutem, postremo exitium inferre possint. Hic quasi summo suo loco stare videbitur res Romana: licet enim de pluribus postea gentibus triumphatum sit, finesque ditionis Romanæ propagati sint, gloriæ tamen potius quam robori consultum est. Quod si satis diu etiam post immissa vitia priscæ virtutis memoria nonnihil valebat, tamen, sicubi deinde nomen Romanum de hostibus triumpharet, quum agros sibi non potentiam augeret, diductum est imperium magis quam firmatum. Jam indies de antiquâ illâ morum severitate et modestiâ desciscі. Opes denique et spolia ex oriente reportata luxuriam secum et per sumptus eminendi studium invexêre: unde avaritia et prava æmulatio: ita ut dehinc prorsus alius populi res gestas referri credas.

J. Y. Sargent.

XXVIII. (Lord Macaulay, *Hist. of England.*)

Est in animo res Britannicas ab ineunte Jacobi minoris principatu usque ad hujus sæculi memoriam conscribere. 'Opus aggredior opimum casibus:' alacris in regiam domum procerum ac sacerdotum voluntas paucos intra menses peccatis abalienata: diuturna inter principes et utrumque senatus ordinem discidia tandem aliquando ad eum finem perducta, ut in unum consentirent populi jura et imperii tradendi conditio. Deinde hæc nova reipublicæ forma per plurium annorum turbas adversus hostes et foris et domi bene conservata; et hoc demum civitatis statu intellectum, quo pacto legum auctoritas privatæque rei tutela possent congruere cum summâ et dicendi quæ quisque vellet et agendi libertate. Ita optimis auspiciis lex atque libertas inter se conjunctæ: dehinc tanta rerum prosperitas, quanta in omni memoriâ omnino inaudita erat.

Ex turpi clientelâ civitas nostra usque in eum locum brevi

provecta, ut arbitria belli pacisque inter ceteras Europæ civitates ageret: pari processu et opes ejus et rei bellicæ gloria exauctæ; publicæ fidei tam sapienter quam constanter servatæ mirifica quædam vis paullatim addita, qualem ne sperare quidem potuissent qui in rebus publicis antiquitus versati erant. Commercia pæne infinita: opes maritimæ, quarum præ magnitudine prorsus ad nihilum redigitur quicquid hujus generis copiarum aliæ gentes antiquæ sive recentiores habuerunt. Caledonia, vetere in Angliam odio remisso, jam fœderis vinculo minus arcte quam amore et commoditate conjuncta: occupata coloniis Britannicis America, facile divitiis atque opibus regiones exsuperantibus a Cortesio et Pizarrone in Caroli quinti ditionem redactas: conditum in Asia ab advenis Britannis imperium Alexandri Macedonis regno neque angustius finibus et diuturnum magis.—E. HAMILTON GIFFORD.

PART V.

Exercise I.

Tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut nemo hominem homo agnosceret; cum autem tertio die sol illuxisset, tum ut revixisse sibi videretur. Quod si hoc idem ex eternis tenebris contingeret, ut subito lucem aspiceremus, quænam species cæli videretur! Sed assiduitate quotidianâ et consuetudine oculorum adsuescunt animi; neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum quas semper vident; proinde quasi novitas nos magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare.

Quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque inter se omnia connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur nullo consilio adsequi possumus? An cum machinatione quâdam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis: cum autem impetum cæli cum admirabili celeritate moveri vertique videmus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summâ salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti divinâque ratione? Licet enim jam, remotâ subtilitate disputandi, oculis quodam modo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divinâ providentiâ dicimus constitutas.

Ac principio terra universa cernatur, locata in mediâ sede mundi, solida et globosa et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas alti-

tudines, immensitatesquè camporum; adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum! qui volucrum lapsus atque cantus! qui pecudum pastus! quæ vita silvestrium! Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari nec stirpium asperitate vastari, quorumque operibus agri, insulæ litoraque collucent, distincta tectis et urbibus. Quæ si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de divinâ ratione dubitaret.

At vero quanta maris est pulchritudo! quæ species universi! quæ multitudo et varietas insularum! quæ amœnitates orarum et litorum! quot genera quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium beluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium!—Cic. *de N. D.* ii. 38, 39.

II.

L. Thorius Balbus fuit, Lanuvinus; quem meminisse tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, quâ non abundaret. Erat et cupidus voluptatum, et cujus vis generis intelligens, et copiosus; ita non superstitiosus, ut illa plurima in suâ patriâ sacrificia et fana contemneret; ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rem publicam interfectus. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed suâ satietate. Habebat tamen rationem valetudinis: utebatur iis exercitationibus, ut ad cœnam et esuriens et sitiens veniret, eo cibo, qui et suavissimus esset, et idem facillimus ad concoquendum; vino, et ad voluptatem, et ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus intelligere, quid sit bonum. Aberat omnis dolor; qui si adesset, non molliter ferret. Color egregius, integra valetudo, summa gratia: vita denique conferta voluptatum omnium varietate. Hunc vero beatum ratio quidem vestra cogit. Ego, huic quem anteponam, non audeo dicere: dicet pro me ipsa virtus; nec dubitabit isti vestro beato M. Regulum anteponere. Quem quidem, cum, suâ voluntate, nullâ vi coactus, propter fidem quam dederat hosti, ex patriâ Carthaginem revertisset, tum ipsum, cum vigiliis ac fame cruciaretur clamat virtus beatiorem fuisse quam potantem in rosâ Thorium.

Bella magna gesserat; bis consul fuerat; triumphârat; nec tamen sua illa superiora tam magna neque tam præclara ducebat, quam illum ultimum casum, quem, propter fidem constantiamque, susceperat; qui nobis miserabilis videtur, illi perpetienti erat voluptarius. Non enim hilaritate, nec lasciviâ, nec risu aut joco, comite levitatis, sed sæpe etiam tristes firmitate et constantiâ sunt beati.—Cic. *de Fin.* ii. 20.

III.

Exposui* fere, non philosophorum judicia, sed delirantium somnia. Nec enim multo absurdiora sunt ea quæ, poetarum vocibus fusa, ipsâ suavitate nocuerunt; qui et irâ inflammatos et libidine furentes induxerunt Deos; feceruntque, ut eorum bella, pugnas, prœlia, vulnera videremus; odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantiâ libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos. Cum poetarum autem errore conjungere licet portenta magorum, Ægyptiorumque in eodem genere dementiam; tum etiam vulgi opiniones, quæ in maximâ inconstantiâ, veritatis ignoratione, versantur.

Ea, qui consideret, quam inconsulte ac temere dicantur, venerari Epicurum, et in eorum ipsorum numero, de quibus hæc quæstio est, habere debeat. Solus enim vidit, primum, esse Deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat, sine doctrinâ, anticipationem quamdam Deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo rei quamdam informationem, sine quâ nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari potest.—Cic. *de Nat. Deor.* i. 16.

IV.

Ea divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est: siquidem in Galliâ Druidæ sunt, e quibus ipse Æduum, hospitem tuum laudatoremque cognovi; qui et naturæ rationem, quam physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur; et, partim auguriis, partim conjecturâ, quæ essent futura, dicebat. Et in Persis augurantur et divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi causâ atque inter se colloquendi; quod etiam

vos quondam facere Nonis solebatis. Nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque perceperit.

Licet autem videre et genera quædam, et nationes huic scientiæ deditas. Telmessus in Cariâ est: quâ in urbe excellit haruspicum disciplina. Itemque Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Clutidarum, haruspicinæ nobilitate præstantes. In Syriâ Chaldæi cognitione astrorum, sollertiâque ingeniorum, antecellunt. Etruria autem de cœlo tacta scientissime animadvertit; eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud majores nostros senatus, tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis, sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta, propter tenuitatem hominum, a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum. Phryges autem, et Pisidæ, et Cilices, et Arabum natio, avium significationibus plurimum obtemperant: quod idem factitatum in Umbriâ accepimus.—Cic. *de Divinat.* i. 41.

V.

Magnum ingenium L. Luculli, magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maxime potuit, caruit omnino rebus urbanis. Ut enim, admodum adolescens, cum fratre, pari industriâ et pietate prædito, paternas inimicitias magnâ cum gloriâ est persecutus: in Asiam quæstor profectus, ibi permultos annos admirabili quâdam laude provinciæ præfuit; post in Africam, inde ad consulatum; quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent: post ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur, qui adolescentiam in forensi operâ, quæsturæ diuturnum tempus, Murenâ bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumpserat. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usûs disciplinam. Itaque cum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis; in Asiam factus

imperator venit, cum esset Româ profectus rei militaris rudis. Habuit enim divinam quamdam memoriam rerum, verborum majorem Hortensius. Sed, quo plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt, hoc erat memoria illa præstantior; quam fuisse in Themistocle, quem facile Græciæ principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem pollicenti cuidam se artem ei memoriæ, quæ tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, oblivisci se malle discere: credo, quod hærebant in memoriâ quæcumque audierat vel viderat.—CIC. *Acad.* ii. 1.

VI.

Potestne earum rerum, quæ nihil habent rationis quare futuræ sint, ulla esse præsensio? Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi cum sic aliquid evenit, ut vel non evenire, vel aliter evenire, potuerit? Quo modo ergo id, quod temere fit cæco casu et volubilitate fortunæ, præsentiri et prædici potest? Medicus morbum ingravescentem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator: et tamen hi ipsi sæpe falluntur, qui nihil sine certâ ratione provident. Ut agricola, cum florem oleæ videt, bacam quoque se visurum putat; non sine ratione ille quidem; sed nonnunquam tamen fallitur. Quod si falluntur ii qui nihil sine aliquâ probabili conjecturâ ac ratione dicunt, quid existimandum est de conjecturâ eorum, qui extis, aut avibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somniis, futura præsentiunt? Nondum dico, quam hæc signa nulla sint, fissum jecoris, corvi cantus, volatus aquilæ, stellæ trajectio, voces furentium, sortes, somnia; de quibus singulis dicam suo loco; nunc de universis.

Atque ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quæ enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentiâ scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? Abeamus a fabulis; propiora videamus. Clarissimorum hominum nostræ civitatis gravissimos exitus in ‘Consolatione’ collegimus. Quid igitur? ut omittamus superiores; Marcone Crasso putas utile fuisse, tum, cum maximis opibus fortunisque florebat, scire, sibi, interfecto filio, exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominiâ et dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium censes, tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum

rerum gloriâ, lætaturum fuisse, si scîsset se in solitudine Egyptiorum trucidatum iri, amisso exercitu; post mortem vero ea consecutura, quæ sine lacrymis non possumus dicere?

Quid vero Cæsarem putamus? Si divinâsset, fore, ut in eo senatu quem majore ex parte ipse cooptâsset, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim a se rebus omnibus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut ad eum non modo amicorum, sed ne servorum quidem, quisquam accederet: quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia.—Cic. *de Divinat.* ii. 9.

VII.

Si tabulas petitor accepti et expensi profert suas in suam rem, suo arbitratu scriptas; quominus secundum illum judicetis, non recuso. Quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, ut, quodcunque retulisset, id ratum haberet? Ratum habebit Roscius. Profer: quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum: quod tibi fuerit probatum, huic erit probatum.

Quid ita non profers? Non conficit tabulas? Immo diligentissime. Non refert parva nomina in codices? Immo, omnes summas. Leve et tenue hoc nomen? HSCCCIↃↃↃ sunt. Quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria jacet? Quomodo HSCCCIↃↃↃ in codice accepti et expensi non sunt? Pro, Dii immortales! essene quemquam tantâ audaciâ præditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem injuratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet? quod sibi probare non possit, id persuadere alteri conetur?

Nimium cito ait me indignari de tabulis: non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur: sed in adversariis patere contendit. Usque adeone te diligis, et magnifice circumspicis, ut pecuniam, non ex tuis tabulis, sed ex adversariis, petas? Suum codicem testis loco recitare, arrogantiæ est; suarum perscriptionum et liturarum adversaria proferre non amentia est? Quod si eamdem vim, diligentiam, auctoritatemque habent adversaria, quam tabulæ: quid attinet codicem instituere? conscribere? ordinem conservare? memoriæ tradere literarum vetustatem? Sed, si, quod adversariis nihil credimus, idcirco codicem scribere instituimus: quod apud omnes leve et infirmum

est, id apud judicem grave et sanctum ducetur? Quid est, quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? quia hæc sunt menstrua: illæ sunt eternæ: hæc delentur statim: illæ servantur sancte: hæc parvi temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem et religionem amplectuntur: hæc sunt dejecta, illæ in ordinem confectæ. Itaque adversaria in judicium protulit nemo: codicem protulit; tabulas recitavit.—Cic. *pro Q. Roscio*, 1, 2.

VIII.

Pecunia tibi debetur certa, quæ nunc petitur per judicem. Hic tu si amplius HS nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti; propterea quod aliud est judicium, aliud arbitrium. Judicium est pecuniæ certæ; arbitrium, incertæ. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. Ejus rei ipsa verba formulæ testimonio sunt. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex. 'Si paret HSIↃↃↃ dari oportere.' Hic, nisi planum facit HSIↃↃↃ ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum, 'Quantum æquius, melius, id dari.' Ille tamen confitetur plus se petere, quam debeatur: sed satis superque habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. Itaque alter causæ confidit, alter diffidit.

Quæ cum ita sint, quæro abs te, quid ita de hâc pecuniâ, de his ipsis HSIↃↃↃ, de tuarum tabularum fide compromissum feceris, arbitrum sumpseris, quantum æquius et melius sit dari, repromittive, si pareret? Quis in hanc rem fuit arbiter? Utinam is quidem Romæ esset! Romæ est. Utinam adesset in judicio! Adest. Utinam sederet in consilio C. Pisonis! Ipse C. Piso est. —Cic. *pro Q. Roscio*, 4.

IX.

Vetus est opinio, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis et monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri et Liberæ consecratam. Hoc cum ceteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis ita persuasum est ut in animis eorum insitum atque innatum esse videatur. Nam et natas esse has in his locis

deas et fruges in eâ terrâ primum repertas esse arbitrantur, et raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Hennensium nemore; qui locus, quod in mediâ est insulâ situs, umbilicus Siciliæ nominatur. Quam cum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt; quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnem peragrasse terrarum.

Henna autem, ubi ea, quæ dico, gesta esse memorantur, est loco perexcelso atque edito, quo in summo est æquata agri planities et aquæ perennes; tota vero ab omni aditu circumcisa atque dirempta est. Quam circa lacus lucique sunt plurimi, atque lætissimi flores omni tempore anni; locus ut ipse raptum illum virginis, quem jam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim prope est spelunca quædam, conversa ad aquilonem, infinitâ altitudine, quâ Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportâsse; et subito non longe a Syracusis penetrâsse sub terras, lacumque in eo loco repente exstitisse, ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt celeberrimo virorum mulierumque conventu.

Propter hujus opinionis vetustatem, quod horum in his locis vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum, mira quædam totâ Siciliâ privatim ac publice religio est Cereris Hennensis; etenim multa sæpe prodigia vim ejus numenque declarant. Multis sæpe in difficillimis rebus præsens auxilium ejus oblatum est: ut hæc insula ab eâ non solum diligi, sed etiam incoli custodirique videatur. Nec solum Siculi, verum etiam ceteræ gentes nationesque Hennensem Cererem maxime colunt.—Cic. *in Verr.* iv. 48.

X.

Testis est Græcia, quæ, cum eloquentiæ studio sit incensa, jamdiuque in eâ præstet ceteris, tamen omnes artes vetustiores habet, et multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam hæc est a Græcis elaborata dicendi vis atque copia. In quam cum intueor, maxime mihi occurrunt et quasi lucent Athenæ tuæ; quâ in urbe primum orator se extulit, primumque monumentis ac literis oratio est cœpta mandari. Tamen, ante Periclem (cujus scripta quædam feruntur) et Thucydidem, qui non

nascentibus Athenis, sed jam adultis, fuerunt, litera nulla est, quæ quidem ornatum aliquem habeat, et oratoris esse videatur. Quamquam opinio est Pisistratum, qui multis annis ante hos fuerit, et paulo seniorem etiam Solonem, posteaque Clisthenem, multum, ut temporibus illis, valuisse dicendo. Post hanc ætatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit, quem constat, cum prudentiâ, tum etiam eloquentiâ, præstitisse. Post Pericles, qui cum floreret omni genere virtutis, hâc tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis, turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem, constat fuisse. Huic ætati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.

Sed, ut intellectum est, quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt; tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Hippias Eleus, in honore magno fuit; aliique multi temporibus iisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset.—Cic. *Brutus*, 7, 8.

XI.

Isocrates ipse scripsit multa præclare et docuit alios; et cum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit etiam in solutâ oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quemdam oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structura, et quædam ad numerum conclusio, nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat eam deditâ operâ esse quæsitam: quæ forsitan laus sit; verumtamen naturâ magis tum casuque nonnunquam quam aut ratione aliquâ aut observatione fiebat. Ipsa enim natura circumscriptione quâdam verborum comprehendit concluditque sententiam, quæ cum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. Nam et aures ipsæ, quid plenum, quid inane sit, judicant, et spiritu, quasi necessitate aliquâ, verborum comprehensio terminatur: in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.

Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor, atque elegans, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere: nam plane quidem perfectum, et cui nihil desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in iis causis, quas scripsit, nihil subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius. Huic Hyperides proximus, et Æschines fuit, et Lycurgus, et Dinarchus, et is, cujus nulla exstant scripta, Demades, aliique plures. Hæc enim ætas effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in quâ naturalis inesset, non fucatus, nitor.—CICERO, *Brutus*, 8, 9.

XII.

Timoris causam, non vitæ pœnam, in potestate censoriâ majores nostri esse voluerunt. Itaque non solum illud ostendam, quod jam videtis, populi Romani suffragiis sæpenumero censorias subscriptiones esse delatas, verum etiam judiciis eorum, qui jurati statuere majore cum religione ac diligentiâ debuerunt. Primum judices, senatores equitesque Romani, in compluribus jam reis, quos contra leges pecunias accepisse subscriptum est, suæ potius religioni, quam censorum opinioni, paruerunt. Deinde prætores urbani, qui jurati debent optimum quemque in selectos judices referre, nunquam sibi censoriam ignominiam impedimento esse oportere duxerunt. Censores denique ipsi sæpenumero superiorum censorum judiciis—si ista judicia appellari vultis—non steterunt. Atque etiam ipsi censores sua judicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de senatu moveri velit, alter retineat, et ordine amplissimo dignum existimet; ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet. Quare, quî vobis in mentem venit, hæc appellare judicia, quæ a populo Romano rescindi, ab juratis judicibus repudiari, a magistratibus negligi, ab iis, qui eandem potestatem adepti sunt, commutari, inter collegas discrepare, videatis?

Quæ cum ita sint, videamus, quid tandem censores de illo judicio

corrupto judicâsse dicantur. Ac primum illud statuamus:—utrum, quia censores subscripserint, ita sit; an, quia ita fuerit, illi subscripserint. Si ideo quia subscripserint, videte quid agatis, ne in unumquemque nostrûm censoribus in posterum potestatem regiam permittatis; ne subscriptio censoria non minus calamitatis civibus, quam illa acerbissima proscriptio, possit afferre; ne censorium stylum, cujus mucronem multis remediis majores nostri retuderunt, æque posthac atque dictatorium gladium, pertimescamus. Sin autem, quod subscriptum est, quia verum est, idcirco grave est; hoc quæramus, verum sit an falsum; removeantur auctoritates censoriæ: tollatur id ex causâ, quod in causâ non est; doce, quam pecuniam Cluentius dederit, unde dederit, quemadmodum dederit; unum denique profectæ a Cluentio pecuniæ vestigium ostende.—CICERO, *pro Cluentio*, 43, 44.

LONDON: PRINTED BY
SPOTTISWOODE AND CO., NEW-STREET SQUARE
AND PARLIAMENT STREET